



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Praxis Episcopalis**

**Piasecki, Paweł**

**Coloniae Agrippinae, 1620**

De Visitatione Regularium.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61608](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61608)

## ARTICVLVS VI.

### De Visitatione Regularium.

- 1 *Episcopus habet intentionem fundatam super omnes de Diocesi.*
- 2 *Papa solus eximere quem potest.*
- 3 *Episcopus an eximere possit.*
- 4 *Regulares sua sibi inuicem priuilegia communicant.*
- 5 *Priuilegiorum Regularium moderatio in Conc. Lateran.*
- 6 *Regularium libros antequam imprimantur examinare debet Episcopus.*
- 7 *Regulares quam licentiam habere debeant ab Ordinario ad predicandum.*
- 8 *Regularis exemptione non obstante iudicari potest de heresi per Ordinarium.*
- 9 *Regularium priuilegia reuocata per Greg. XIII. in quantum sunt contraria.  
Cōnc. Trid.*
- 10 *Capitulum Sede vacante potest iudicare crimen heresis.*
- 11 *Regularis in omni crimine degradatione digno debet iudicari per Episcopum.*
- 12 *Regulares extra claustra degentes quomodo iudicari possint per Episcopum.*
- 13 *Regulares vagabundi subiecti sunt Episcopo.*
- 14 *Confratres & nouitij quomodo subsint Episcopo.*
- 15 *Regulares si non eligunt conseruatores possunt in causis mercedem conueniri co-  
ram Episcopo.*
- 16 *Regularis intra claustra degens & extra ea delinquens an possit apprehendi per  
officium Episcopi & quomodo puniri debeat à superiore ad requisitionem  
Episcopi.*
- 17 *Exemptus ratione rei non exempta subiectus est Episcopo.*
- 18 *Exemptus litigans coram Ordinario ab ipso puniri potest si ibi delinquat.*
- 19 *Delegatus punire potest extraneas personas si aliquid faciant quo turbatur ipsius  
iurisdictio.*
- 20 *Regulares cum non soluunt decimas iudicari possunt per Episcopum.*
- 21 *Monasteria commendata visitari possunt per Episcopum.*
- 22 *Monasteria non reducta in Congregationes subsunt Episcopo.*
- 23 *Regularis manens in beneficio subiecto Ordinario, ratione eiusdem beneficij con-  
ueniri potest apud Ordinarium.*
- 24 *Exemptio concessi Monasterio non extenditur ad Capellas.*
- 25 *Regulares Capellis vnitus eorum Monasterio non possunt imponere onera sine sci-  
tu Episcopo.*
- 26 *Exempti in alienatione bonorum ipsorum cuius consensum debeant inquirere.*
- 27 *Regulares ratione hospitalium si quæ habent possunt per Episcopum corrigi.*
- 28 *Regulares quoad curam animarum si quam habent subiecti sunt Episcopo.*
- 29 *Episcopus in curatis exemptorum quam iurisdictionem habeat.*
- 30 *Beneficia collationis Regularium quomodo deuoluantur ad Episcopum.*
- 31 *Regulares administrantes Sacramenta quas pœnas iucurrant.*
- 32 *Regulares tenentur admonere populum de debito soluendarum decimarum.*



- 33 Monasterium non debet edificari de nouo absq̄, licentia Episcopi & quomodo hæc licentia concedenda.
- 34 Regulares an possint celebrare Missam extra locum sacrum post Conc. Trid.
- 35 Dies festi Diocesis quomodo seruandi per Regulares.
- 36 Censuras publicatas per ordinarium seruare tenentur Regulares.
- 37 Damna partu lese quomodo sint estimanda.
- 38 Eleemosynarum questores quomodo per Ordinarium coërcendi.
- 39 Regularis exercens negotiationes illicitas. potest admoneri per Ordinarium vt desistat.
- 40 Regulares tenentur accedere ad processiones maioris Ecclesiæ.
- 41 Controuersias de præcedentia in processionibus, iudicare spectat ad Episcopum & quomodo iudicanda.
- 42 Regulares ratione contributionis, pro Seminario subduntur Episcopo.
- 43 Mendicantium ordines qui sint.
- 44 Societas Iesu est ordo mendicantium.
- 45 Quarta funeralium quomodo soluenda Parocho.
- 46 Quartam Episcopalem non tenentur soluere Regulares.
- 47 Regularis ratione exequutionis testamenti subditur Episcopo.
- 48 Regularis sepeliens interdictum quas pœnis incurrat.
- 49 Regularis inducens aliquem ad eligendum sepulturam in sua Ecclesia, incurrit excommunicationem.
- 50 Nouitij non possunt renunciare eorum bonis durante nouit. sine scitu Episcopi.
- 51 Controuersia de validitate professoris iudicanda per Episcopum.
- 52 Regulares in quibus teneantur honorare Episcopum & ipsius Ecclesias.
- 53 Episcopus in loco exempto potest Pontificalia exercere.
- 54 Abbates benedicere spectat ad Episcopum.
- 55 Per priuilegia Reg. tantum derogatur Ordinatio, quantum exprimitur.
- 56 Prescribi potest contra priuilegia Regularium.
- 57 Regulares an possint renunciare eorum priuilegijs.
- 58 Regulares quibus casibus possint excommunicari per Episcopum.
- 59 Regulares an possint declarari per Episcopum.
- 60 Declaratio quomodo ferenda.
- 61 Episcopus an possit absoluere Regularem.
- 62 Inquisitio qualis facienda circa Regulares.

**Q**uibus legib. circūscripta fuerint ab initio instituta Regularium, videre licet in c. Eccl. c. placuit. iuxta. & tota. 16. q. 1. & 18. q. 2. cap. cum venerabilis de relig. dom. vbi Regulares subijciuntur iurisdictioni Diocesani. idem docet. Abb. in cap. nimis praua. num. 4. de excess. prel. Et quomodo Diocesanus habeat iurisdictionem fun-

datam in iure super omnes in sua Diocesi, patet ex tex. omnes Basilica. 16. q. 7. cap. cum Episcopus. de off. ord. in 6. & notat. gl. in cap. sane. de excess. prel. cap. cum personæ. de priuil. in 6. idque etiam contra Abbates & alios Prælatos Regulares. cap. fin. de confir. vt. vel. mit. Dec. ib. num. 16. Rot. decis. 78. p. 1. diuersorum. Postmodum tamen à iurisdictione  
hag



hæc Episcoporum fuerunt exempti varijs priuilegijs Summorum Pontificum, quorum est eximere. *cap. frater noster. 16. quest. 1. cap. luminosa. 18. quest. 2.*

2. nam inferior Papæ, vt Episcopus vel Archiepiscopus, etiam proprios subditos in totum eximere à sua iurisdictione nõ potest, licet aliqua iura possit remittere.

3. *gl. singularis in cap. 1. v. exemptionis. de priuileg. in 6. Abb. in c. pastoralis. nu. 7. de donat. & in cap. constitutus. num. 11. de relig. dom. & in c. olim. num. nu. 4. de priuileg. Felin. in cap. cum inter. de re. iud. Auchar. Franch. in cit. cap. 1. de priuileg. in 6. Oldrad. cons. 172. & cons. 244. Dec. cons. 152. Feder. de Sen. cons. 247.*

Priuilegia autem hæc Regularium videre licet sufficienter collecta & explicata apud Ema. Roder. *Quest. Reg. Tom. 1. à 95.* vbi etiam deducitur, quomodo tam mendicantes, quam non mendicantes sua sibi inuicem priuilegia communicent, quod etiam notat *Consect. in sum. priuileg. mend. tit. 3. cap. 5. Sorb. in comp. priuileg. verbo. communicatio. priuileg.* ita vt hoc tempore dici possit fere omnes æque Regulares esse exemptos à iurisdictione Episcoporum. Papæ tamē subsunt & eius legatis, & ille est Ordinarius exemptorum. vt notat *gl. in cap. auctoritate. v. Sedis Apostolica. de priuileg. in 6.* non enim possunt ita eximi, vt illi non subsint. *cap. cum in j. vti. de cens. Abb. Ioan. Andr. ib. & in cap. 1. de priuileg. in 6. num. 3. Card. in Clem. dudum. 8. nos etenim. quest. 11. alioquin videntur achepali, quod esse non potest cap. cum ex officio. cap. cum non liceat. de prescript.*

In multis tamen hæc eorum priuilegia fuerunt restricta & limitata varijs Conciliorum & Summorum Pontificum decretis & rescriptis, quorum utiliora

& ad praxim iurisdictionis Episcopalis necessaria hic referre conabimur vt appareat num aliquibus casibus iurisdictionem suam exercere in eos possint locorum Episcopi. Vnde primo moderata fuerunt priuilegia Regularium in Conc. Lateranen. vlt. à Leon. X. Constitutione subinserta *relata in Bullario. fol. 123.*

### Leo Episcopus Seruus Seruorum Dei.

Sacro approbante Concilio. Dum iuxta *57* mentis arcana reuoluimus. & infra. Sanè cupientes vt iura spiritualia qua ad Dei laudem & Christi fidelium animarum salutem pertinent, & quorum exercitiū prefatis Episcopis & eorum superioribus in suis Diocesis (cum ipsi in parte sollicitudinis, vt presertur, assumpti, ac Dioceses distincta & cuiuslibet eorundem Episcoporum assignata fuerint) commissum extitit, per ipsos Episcopos exerceantur, & ius illa liberè exercendi, quantum fieri potest, eis illasum preseruetur. Et si aliqua dictis fratribus mendicantibus in eorundem Episcoporum lesionem per Romanos Pontifices predecessores nostros, & Sedem Apostolicam concessa fuerint, concessionem huiusmodi eisdem Religiosis factas in subsequentibus duximus moderandas, vt ipsi fratres potius ab eisdem Episcopis omni cum charitate foueantur, quam aliquo modo molestentur & inquietentur. Vna enim est Regulariū, Saculariū, Pralatorū & subditorū exemptorū, & non exemptorū vniuersalis Ecclesia, extra quā nullus omnino saluatur, eorūq; omnium vnus Dominus, vna fides, & propterea decet eos

quæ



qui eiusdem sunt corporis, vnius etiam esse voluntatis, & sicut fratres nexu inuicē charitatis astricți sunt, sic nō conuenit alterū in alterius iniuriā, seu iacturam proflire dicente Saluatore: hoc est praeceptum meum vt diligatis inuicem sicut dilexi vos.

Ad conseruandam inter Episcopos & eorum Superiores ac Pralatos & Fratres huiusmodi mutuam charitatem & benevolentiam, diuino quoque cultus augmentum, pacemq; & tranquillitatē vniuersalis Ecclesiae status; quod ita demum fieri posse cognoscemus, si vnicuiq; quantum fieri potest sua iurisdictio conseruetur. Sacro approbante Concilio statuumus & ordinamus, quod Episcopi & eorum Superiores, & alij Pralati praefati, Parochiales Ecclesias ad eosdem Fratres ratione locorum legitime spectantes, quoad ea quae ad Parochianorū curam, & Sacramentorum conseruationē administrationemq; pertinent (sine tamen visitatorum insolito grauamine, vel impensa) visitare & illorum curam gerentes, & circa illā delinquentes si religiosi fuerint, iuxta ipsius ordinis regularia, instituta intra septa regularis loci, saeculares verō Presbyteros & fratres huiusmodi beneficia obtinentes, liberē tanquam sua iurisdictioni subiectos punire; ac tam Pralati quam Presbyteri saecularis, qui vinculo excommunicationis ligati non fuerint, missas in Ecclesiis domorum eorundem deuotionis causa celebrare volentes, libenter recipere debeant.

Ac ab eisdem Pralatis ad processiones solemnes pro tempore faciendas, requisiti (dummodo eorum loca suburba-

na vltra vnum miliare à ciuitatibus respectiue non sunt remota) accedere.

Nec non superiores eorundem fratrum, fratres quos ad audiendas confessiones subditorum eorundem Pralatorū pro tempore elegerint, eisdem Pralatis personaliter exhibere, ac praesentare, si eos sibi exhiberi & praesentari petierint; alioquin eorum Vicarijs (dummodo ad Pralatos vltra duas dietas accedere non cogantur) omnino teneantur. Possintq; illi per eosdem Episcopos & Pralatos super sufficenti literatura, & aliqua saltē huiusmodi Sacramenti peritia duntaxat examinari, talibusq; praesentatis admittis, vel etiam indebitē recusatis confitentes constitutioni quae incipit Omnis virtusq; sexus, quoad confessionem duntaxat satisfecisse censeantur.

Ipsiq; fratres etiam forensium Confessiones audire valeant, Laicos tamen & Clericos saeculares à sententijs ab homine latis nullatenus absoluerē possint.

Eucharistia verō & extrema vnctionis, aliaq; Ecclesiastica Sacramenta illis, quorum etiam infirmorum ac decedentium confessiones audierint, dicentibus proprium Sacerdotem illa sibi dare denegasse dare nequeant, nisi denegatio sine legitima causa facta, vicinorum testimonio probata, aut requisitio coram Notario publico facta doeretur. Eorundem verō fratrum obsequio insistentibus Sacramenta huiusmodi nullatenus ministrare valeant, nisi illorum durante obsequio.

Pacta autem & conuentiones inter eosdem fratres & Pralatos, atque curatos pro tempore inita valeant, nisi per subsequutum Capitulum proximum ge-

nera-



nerale, vel provinciale refutata, & per eos refutatio huiusmodi intimata debito tempore fuerit.

Parochialis autem cum cruce ad leuanda funera eorum, qui apud Ecclesias domorum & locorum eorundem suam elegerint sepulturam, intrare non possint, nisi prius pramonito, & requisito, ac recusante Parochiano Presbytero; & tunc sine eius ac ordinarij praiudicio, nisi eisdem Fratribus super hoc antiqua consuetudo, qua sit in viridi obseruantia, & cum pacifica possessione suffragetur.

Volentes quoque sepeliri in habitu eorundem fratrum in claustro non degentes, sed in proprijs domibus habitantes, in eorum vltima voluntate sepulturam sibi eligere possint.

Quodq; fratres ipsi ad ordines promouendi per Ordinarios de grammatica, & sufficientia examinari, & dummodo competenter respondeant per eosdem Ordinarios libere admitti, ac nullatenus in eorum Ecclesijs seu domibus, aut alijs eorum locis ab alio, quam à Diocesano Episcopo, nisi prius ipso Diocesano Episcopo, vel eius Vicario super hoc cum debita reuerentia requisito, & absq; rationabili causa contradicente, vel eo à Diocesi absente, ad dictos ordines promoueri debeant.

Nec ab alieno Episcopo consecratione Ecclesia vel altaris, aut cameterij benedictionem petere, seu in Ecclesijs per eos pro tempore adificandis primum lapidem per alienum Episcopum poni facere possint, nisi Ordinarius bis aut ter cum debitis reuerentia & instantia requisitus, sine legitima causa id recusauerit.

Et absq; curatorum consensu, sponsum

& sponsam benedicere nequeant. Et vt debitus honor matri Ecclesia reddatur, tam ipsi fratres, quam alij Clerici seculares, etiã super hoc Apostolica Sedis privilegio muniti, die Sabbati maioris hebdomada antequã Campana Cathedralis, vel matri Ecclesia pulsauerit, Campanas in Ecclesijs suis pulsare minime possint, contra facientes poenam centum ducatorum incurrant.

Censuras autem per eosdem Ordinarios latis & promulgatas, ac in matri Ecclesia ciuitatum, nec non in Collegiatis & Parochialibus Ecclesijs, Castorum & Oppidorum respectiue solemniter publicatas, quando super hoc ab eisdem Ordinarijs requisiti fuerint, in Ecclesijs domorum suarum publicare ac seruare.

Et vt animarum vtriusq; sexus Christi fidelium saluti vberius consulatur, illos quorum confessiones pro tempore audierint, cuiuscunq; status & conditionis fuerint, ad soluendum decimas, siue alias honorum seu fructuum quotam, in locis in quibus decima ipsa, aut similia solui consueuerunt, & iam sub onere conscientiarum suarum monere & hortari, ipsiq; etiã illas soluere recusantibus, absolutionem denegare, & super hoc requisiti, id populo etiam publice predicare & persuadere teneantur.

Conseruatores autem eisdem fratribus pro tempore à Sede Apostolica deputandi, doctrina & probitate prestantes, & in Ecclesiastica dignitate constituti esse debeant, & coram eis per eosdem fratres, quibus dati fuerint, vltra duas dietas à loco solite sue habitationis nullus trahi possit, priuilegij super hoc alias eis concessis nullatenus suffragantibus.

Bb

Ex-



Excommunicati quoque Ordinem mendicantium profiteri volentes, ubi de interesse tertij ageretur, absolui non possint, nisi praua satisfactione.

Procuratores quoque & negotiorum gestores, ac operarij eorundem fratrum seruitijs insisteres, sententijs excommunicationis promulgatis illaqueati sint, & esse censeantur, si illis causam dederint, aut dantibus consilium, auxilium, vel fauorem praestiterint.

Fratres autem & sorores tertij ordinis, nec non mantellati, corrigiati, Pizochara, cordellati, & alij quocumque nomine nuncupati, in proprijs domibus habitantes, sepulturam, ubi valuerint eligere valeant. Sed die Paschatis tantum Eucharistiam, nec non extremam unctionem, ceteraque Ecclesiastica Sacramenta (poenitentia Sacramento duntaxat excepto) a proprio Sacerdote recipere, & ad onera quae Laicis incumbunt, perferenda teneantur, ac in foro saeculari coram Iudicibus saecularibus conueniri possint.

Et ne censura vilescat Ecclesiastica, & minoris auctoritatis interdicti sententia reputetur, ijdem dicti tertij Ordinis ad diuina audienda in Ecclesijs suorum Ordinum tempore interdicti nullatenus admittantur, si causam dederint interdictio, vel causam ipsam nutriant, seu foueant, aut dantibus auxilium, consilium, vel fauorem quoquomodo praestiterint.

Collegialiter autem viuentes, seu cum claustralibus habitantes, ac mulieres virginalem seu calibem, aut castam virginitatem expresso voto, & sub dicto habitu, vitam ducentes, priuilegijs quibus fratres Ordinis cuius tertiae regulae habitum gestant, gaudere debeant.

Omnia etiam singula supra dicta, ad reliquos religiosos Ordinum, quorumcumque extendi, & per eos etiam seruari debere volumus, atque decernimus. Saluis tamen in reliquis desuper non expressis, tam Episcoporum, quam Fratrum & aliorum religiosorum praedictorum iuribus, quibus per praemissa in aliquo praedicare, seu quicquam innouare non intendimus. Non obstantibus constitutionibus & ordinationibus Apostolicis, ac statutis & consuetudinibus dictorum ordinum iuramento confirmatione Apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis, priuilegijs quoque & indultis, ac literis Apostolicis contra praemissa, seu aliquod praemissorum eisdem Ordinibus concessis, etiam in mari magno contentis, quibus (etiam si ad illorum derogationem de eis, eorumque totis tenoribus specialibus, specificis, expressis, indiuidua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales, idem importantes mentio seu quouis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma seruanda esset, illorumque tenores praesentibus pro sufficienter expressis, & insertis habentes) specialiter & expresse derogamus, ceterisque contrarijs quibuscumque; decernentes ex nunc irritum & inane, si secus super his a quocumque quauis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attemperari.

Eosdem insuper fratres in virtute sanctae obedientiae monemus, ut eosdem Episcopos, loco sanctorum Apostolorum subrogatos, pro debita & nostra, ac Sede Apostolica reuerentia, congruo honore & conuenienti obseruantia venerentur. Ipsosque Episcopos hortamur, ac per viscera misericordiae Dei nostri requirimus,



ut fratres ipsos affectu beneuolo prosequentes, charitatiue tractent, ac benignè foueant, seq. illis minime difficiles, aut duros, vel morosos, sed potius faciles, mitres, propitios, piag. munificentia liberales exhibeant, ac in omnibus prædictu. tãquam in agro Dominico cooperatores, eorumq. laborum participes prompta benignitate recipiant, eorumq. iura omnium cum charitate custodiant, atq. defendant, vt tam Episcopi quam fratres præfati, (quorũ opera veluti lucerna ardentis supra montem posita, omnibus Christianis fidelibus lumen præbere debent) ad Dei laudem, fidei Catholica exaltationem, populorumq. salutem, de virtute in virtutem proficiant, ac exinde à largissimo bonorum omnium retributore Domino, perennis vita præmium consequi mereantur. Nulli ergo, &c. Dat. Roma in publica sessione in Lateranensi Sacrosancta Basilica soleniter celebrata. an. Incar. Dominica 1516. 19. Decemb. Pont. nostri an. 4.

Aliorum etiam Summorum Pontificũ, varijs decretis restricta fuerunt eorundem Regularium Priuilegio & iurisdictione Ordinariorum contra ipsos ampliata, præcipue autem in Conc. Trid. vt ex sequentibus patebit.

6. Et primo quidẽ libros, quoscunq. imprimere seu imprimi facere nõ possunt, nisi prius examinatos & probatos ab Episcopo. Conc. Trid. sess. 4. de edit. lib.

Item vt lectionem Sacræ scripturæ in monasterijs suis habeant, compelli possunt ab Episc. idẽ Conc. sess. 5. c. 1. de ref. nouissimè etiã Paul. V. ordinauit, vt in omnib. Regulariũ domibus, seu monasterijs lectio linguarũ, Hæbraicæ, Græcæ, Latinæ, & Arabicæ habeatur, & à Regularib. diligenter addiscatur, cõstitutione sua incip. Apostol. seruitutis. an. 1610. Cal. Aug.

Prædicator item Regularis prædicare non debet in sua Eccl. nisi fuerit approbatus à suis superioribus, & se præsentauerit Episcopo, pro benedictione ab ipso obtinenda. In Eccl. verò non sui ordinis, si prædicare voluerit, non tantum benedictionem, sed etiam licentiam ad sic prædicandũ obtinere prius debet ab Ordinario id. Conc. lo. cit. c. 2. & fidem de sua doctrina, moribus, idoneitate, per literas authenticas suorum superiorum eidem ordinario facere obligatur, ex ordinatione constitutionis Leon. X. incip. superna. in Concil. Lateran. cit. facte, quam alia occasione supra retulimus.

Si verò prædicet errores Regularis, prædicationem ipsi interdiceret potest Episcopus. Conc. lo. cit. Imò quocunq. alio modo etiam non reddita causa potest Episcopus interdiceret Regulari, ne prædicet virtute decreti. cit. Conc. Trid. sess. 24. c. 4. de ref. illo loco (contradictente Episcopo) quod etiam responsum fuisse à s. Cõg. Conc. testatur Franc. Leo. in sua prax. p. 1. c. 8. nu. 9. & licet Pius V. Constitutione sua incip. Ad hoc nos Deus. an. 1571. die 23. Septembr. Regularibus concesserit, vt irrequisito & contradicente Episcopo prædicare possint, in multisq. alijs contradicenti Conc. Trid. Decretis, tum illa Constitutione, tum & alia incip. Et si mendicantium. de an. 1567. 17. Kal. Iun. & alia incip. ex superna. eo. ann. Kal. Sep. Et alia. incip. Ad exequendum. eo. an. Kal. Nouemb. cum ipsis Regularibus dispensauerit, pariterq. inter omnes Regulares, tam mendicantes, quam non mendicantes eadem priuilegia & declarationes cõmunicauerit, illa tamen omnia per Greg. XIII. reuocata, & ad terminos iuris, & Conc. Trid. reducta fuerunt Constitutione ipsius Greg. qua sequitur.

In tanta rerum & negotiorum mole, qua Rom. Pont. ex omnibus mundi par-



tibus assidue premitur, vix vitari potest, ne aliqua interdum exilient, quibus postea recognitis, necesse est moderationis remedium adhibere. Cui itaq; alias fel. rec. Pius Papa V. praedecessor noster, auditis grauaminibus, quae fratribus Ordinum mendicantium ab Ordinarijs locorum & Parochialium Ecclesiarum rectoribus multis modis inferri dicebantur super sacris concionibus & lectionibus habendis, confessionibus audiendis, poenitentijs iniungendis, fratribus ad ordines promouendis, celebrationem missarum, cura animarum, Sacramentorum administratione, sepulturis, quarta funeralium, legatu, donationibus, elemosynis, collectionibus, alijsq; huiusmodi iuribus, nec non decimis, & diuersis oneribus, ac etiam super statu & regimine sanctimonialium ipsis fratribus subiectarum, formatione processuum, censurarum publicatione, processuum, precedentia, locorum acquisitione, caterisq; alijs rebus tunc expressis, multa per quasdam suas litteras pro dictis fratribus non modo statuerit, sed & quae iam in Conc. Trid. decreta fuerunt ad hac pertinentia declarauerit, multaque praeterea privilegia eisdem 17. Kal. Iun. Pont. sui anno secundo, & deinde ea omnia diuersis alijs ordinibus & Congregationibus Regularium non mendicantium, etiam per modum communicationis concesserit. Postea per quamdam Constitutionem suam de Vicarijs perpetuis in Parochialibus Ecclesijs unitis per Ordinarios locorum instituendis, & portione illarum Vicarijs assignanda editam, alia super Constitutione fratrum eorundem ad exercitium cura animarum in eorum Parochialibus Ecclesijs, quae do-

mibus & locis suis unita sunt decreuerit. Demum animaduerso quod ea omnia multis dubitationibus inuoluta, magnisque difficultatibus obstructa, multas magnasq; dissensiones, altercationes & lites inter praedictos locorum ordinarios & fratrum ipsorum ordines, non sine graui Diuini cultus & animarum detrimento ac populorum scandalo concitauerant, contra ac ipse sperabat & praeter suam expectationem, ut qui interdum conquereretur, multa aliter aliq; sensu a se prolata fuisse, quam literis expressa essent: Cupiens his mederi incommodis, primum illa omnia, quae Regularibus aliorum ordinum, quam mendicantium communicauerat, & secundum praemissa concesserat, motu proprio restrinxit. Deinde plenius providere volens prioribus litteris a se quo ad ipsos mendicantes magna in parte moderatis, omnes & quascunq; alias litteras, quae de alijs Ordinibus & Congregationibus extra mendicantium ordines de Obseruantia nuncupatos emanauerat, omnino aboleuerit, causas omnes iam de his etiam in Rom. Curia pendentes ad se aduocando, lites extinguendo, ac formatos super illis processus, lataq; sententias annullando: quemadmodum alijs suis litteris in Registro proximè compertu, nunquam tamen publicatis, plenius continetur. Postremo circa Confessariorum Regularium etiam mendicantium approbationem iuxta Concilij praedicti decretum faciendam, etiam lectores in Theologia graduatos & certos alios tunc expressos comprehendi debere declarauerit. Nos hac tanta varietate cognita, quae etiam ex multiplici litterarum & Constitutionum editione procedit.



cedit, presentibus & futuris discrimini-  
 bus occurrere volentes. De nobis attributa  
 potestatis plenitudine statuimus, & or-  
 dinamus, de predictis & alijs omnibus  
 litteris & Constitutionibus, quæ ab eodẽ  
 prædecessore eisdem de rebus pro quorũ-  
 cunq; Regularium etiam mendicantium  
 Ordinibus & Congregationibus, quo-  
 modolibet emanarunt, ac omnibus &  
 quibuscunq; in eis contentis, eam dein-  
 ceptis dispositionem atq; decisionem pro  
 subiecta materia futuram esse, quæ siue  
 ex iure veteri, siue ex sacris dicti Concilij  
 Decretis, siue alias legitime antedicta-  
 rum litterarum & Constitutionum edi-  
 tionem erat, & si ipsa non emanassent  
 futura fuisset, ad quam dispositionem &  
 decisionem, suamq; pristinum & inte-  
 grum statum ac terminum illa omnia  
 reducemus. Quin etiam tollimus & ab-  
 rogamus omnia irritantia & alia decre-  
 ta, nec non prohibitiones, declarationes,  
 mandata, & quæcunq; alia ipsis litteris,  
 Constitutionibus apposita, & alias eorũ  
 occasione vel causa facta his nostris, sta-  
 tuto, ordinationi & reductioni aduersan-  
 tia, quibuscuq; illa sint cõcepta formulis,  
 ac præseruationibus, declarationibus, mo-  
 dificationibus, restitutionibus, mentis at-  
 testationibus, derogatorijs derogato-  
 rijs alijsq; fortissimis, efficacissimis, &  
 inuiolabilibus clausulis, etiam motu, &  
 potestatis plenitudine similibus, & ex  
 certa scientia, etiam pro conseruatione  
 status Regularis, & ex quibuscunq; alijs  
 vrgentissimis causis quotiescunq; robo-  
 raris. Decernentes illa omnia, pro nullis  
 & infectis haberi, omnesq; supradictos  
 illarum vsu, commodo, & effectu carere.  
 Et omnes lites, controuersias, quæ coram

quibusuis iudicibus siue ordinarijs, siue  
 cõmissarijs, etiã Causarum Palatii Apo-  
 stolici Auditoribus, & Sancta Ro-  
 mana Ecclesia Cardinalibus etiam de  
 latere Legatis, predictarum litterarum,  
 & Constitutionum occasione super præ-  
 missis iam mota sunt, necdum decisa aut  
 desinita, vel etiã quæ iam decisa sunt, si  
 modo tractũ habeãt successiuũ, easq; rur-  
 sus & inter quoscunq; excitari in posterũ  
 contingat secundum prædictam disposi-  
 tionem, nec aliter decidendas, futura  
 verò dubia, & difficultates, quandocunq;  
 & vbiq; orientur ad nos & Sedem  
 Apostolicam, vbi & cetera quæ ad De-  
 creta dicti Concilij pertinent quotidie  
 declarantur, omnino referenda esse. Nec  
 non irritum & inane quidquid secus su-  
 per his per quoscunq; scienter vel igno-  
 ranter contigerit attentari. Manda-  
 mus itaque in virtute Sancta Obedien-  
 tia presentes ab omnibus vbiq; Episco-  
 pis, & locorum Ordinarijs, nec non  
 Ecclesiarum prælatis, rectoribus, fratri-  
 busq; predictis, ac ceteris ad quos perti-  
 net semper, inuiolata obseruari. Non  
 obstantibus præmissis ac Constitutionibus  
 & Ordinationibus Apostolicis, nec nõ Ec-  
 clesiarum, Monasteriorum, Conuentuũ,  
 Domorum, locorum & Ordinum, quo-  
 rumcunq; iuramento confirmatione A-  
 postolica, vel quauis firmitate alia robo-  
 ratis, statutis, & consuetudinibus, pri-  
 uilegijs, quoq; indultis & litteris Apo-  
 stolicis, etiam mare magnũ & Bulla aurea  
 nuncupatis dictis Ecclesijs, Ordinibus, &  
 Congregationibus quomodolibet cõcessis,  
 & confirmatis, quibus omnibus etiamsi de  
 illis eorumq; totis tenoribus specialis, ex-  
 pressa, indiuidua, & ad verbum, non autẽ



per clausulas generales idem importantes, mentio seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc seruanda foret, tenores huiusmodi ac si de verbo ad verbum inferebantur presentibus pro sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice duntaxat specialiter expressè derogamus, ceterisque contrarijs quibuscumque. Vt autem presentes omnibus plenius innotescant, &c. Nulli ergo &c. Datum Romæ apud S. Petrum. anno Incarn. Dom. 1572. Cal. May. Pontif. anno 1.

Et licet idem Gregorius postmodum priuilegia mendicantium confirmauerit, cum clausula (nullis contrarijs etiam suis obstantibus) in ipsis tamen confirmationis literis apposta est alia clausula. (in quantum decretis Conci. y Trid. non sunt contraria) ita quod nec posteriores confirmationes reualident dicta Decreta Pij V. in quantum aduersantur. Conc. prædicto, quam clausulam etiam alij Põtifices in similibus suis confirmationibus semper apponi voluerunt, vt ex ipsarum confirmationũ tenore cognoscere licet.

Idem Greg. XIII. reuocauit confirmationem eiusdem Pij V. priuilegiorũ militum S. Ioannis Hierosolymitani & eam similiter reduxit ad terminos dicti Conc. Trid. Const. sua incip. Circumspecta. de anno 1580. die 25. Nouemb.

Vltra præmissa autem Regularẽ prædicantem hæresim Episcopus ipsemet punire potest. Conc. Trid. loc. cit. sess. 5. & quocumque alio modo de hæresi se fecerit suspectum Regularis, ab Episcopo tanquam sedis Apostolicæ delegato, & ab inquisitore iudicari potest. cap. ad abolendam. de heret. S. fin. Abb. ib. nu. 8. & notat gl. in cap. per hoc. v. delegata. eo. tit. in 6.

Quæ potestas transit etiam ad Capitulum sede vacante. Abb. loc. cit. num. 5. Hostien. Ioan. Andr. ib. videlicet necessitate urgente, idque fauore fidei Catholicæ. Pauin. de potest. cap. sed. vac. q. 7. & 10. alioquin enim regulariter non succedit Capitulum in iurisdictione Episcopi delegata. Innoc. in cap. ad abolendam. cit. Abb. in cap. cum olim. num. 2. de maior. & obed. Feder. de sen. cons. 291. Bellam. decis. 166. hæretici autem nomine comprehenditur tam ille qui male sentit de articulis fidei, & de Sacramentis Ecclesiæ, quam ille qui paruum habet dogma, vel falsas opiniones in rebus fidei, seu interpretationibus sacræ Scripturæ sequitur. vt notat gl. in Clem. vn. v. hæreticum. de de heret. Calder. cons. 4. & 5. de heret. Oldrad. cons. 210.

De omni etiã crimine depositione digno per Regularem commissio, non superior Regularis, sed Episcopus cognoscere debet. Nau. cons. 6. de fo. comp. in no. nemo enim alius degradare potest, præter Episcopum. c. degradatio. de pœnis. in 6. Doct. ib. Abb. in c. cum contingat. nu. 6. de fo. comp.

In causis item mercedum & miserabilium personarum contra Regulares extra claustra degentes exemptione nõ obstante, & quamuis habuerint conseruatore seu iudicem suum deputatum, procedere potest Episcopus. Conc. Trid. sess. 7. cap. 14. de ref. Quo loco Conc. dilataste ordinariorum iurisdictionem in exemptos extra claustra degentes, vigore cap. 1. de priuil. in 6. concessam, deducit. Rot. decis. 702. p. 1. diuers.

Eisdem Regulares degentes extra claustrum si delinquant, puniri potest Episcopus tanquam delegatus Sedis Apostolicæ. cit. Conc. sess. 6. cap. 3. de ref. ad quod facit cit. cap. 1. de priuil. in



in 6. Idque etiam si in studijs morentur, seu alias de superioris sui licentia in ciuitate seu alibi extra Monasterium sui ordinis habitent. *idem Conc. sess. 25. c. 4. de regul. idemque declaratum fuisse à S. Congreg. Conc. refert Genuen. in prax. cap. 59. in hac verba.*

*Regularis manens extra claustrum de licentia superioris etiam in domo deputata ad erectionem Monasterij, nisi in dicta domo sit Regularis Obseruantia, vt saltem viuat sub superiore conuentualiter, potest puniri ab Ordinario.*

13. Item & vagabundi & absque literis obedientiæ per ciuitates seu Diocesim transeuntes, ab Episcopo detineri, carcerari, & tanquam instituti sui desertores puniri possunt. *Conc. Trid. loc. cit. hocque idem videre licet apud Doct. in cit. cap. 1. de priuil. in 6. tanto magis si Religiosus dimittit habitum, vel accedit ad studia absque licentia Superioris sui, talis enim incurrit ipso facto excommunicationem. cap. vt periculosa. ne Cler. vel Mon. in 6.*

Eiecti è Monasterijs propter eorum demerita, subiecti sunt iurisdictioni ordinario: uñ sub quibus morantur. *Nau. in 2. comm. de Regul. ad cap. non licatis. 12. q. 1. nu. 34. & consil. 50. & 65. de Regul. in antiq. ubi deducit etiam professum posse eijci è Monasterio per Superiorem si causa iusta subsit.*

14. Confratres, & qui nondum perfectè translati sunt ad Regulam eodem iure censendi sunt, vt videlicet subiaceant iurisdictioni Episcopali. *c. cum & plantare. §. de Confratribus. cap. tuarum. cap. penult. de priuileg. Abb. in cit. cap. cum & plantare. num. 4. Et nouitij ad minus ratione delicti ante ingressum religionis commisi, seu ratione rei in seculo possessæ, aut contractus initi, sub-*

sunt Episcopo; isti enim ante emissam professionem non possunt censerì pro vere religiosi. *cap. Religioso. de sent. excomm. in 6. præsertim in ijs quæ non concernunt Regulam. Nau. conf. 58. de Regul. in antiq. & maximè in obligationibus quæ inhærent personæ, nec tolli possunt per Monachismum. Abb. in cap. cum. 1. & à num. 27. de re. iud. Nau. in cit. comm. 2. de Regul. num. 67.*

Intra claustra etiam degentes Regulares in causis mercedum & miserabilium personarum possunt ab Episcopo iudicari, si conseruatores sibi non elegerint, coram quibus conueniantur. *cit. Conc. Trid. sess. 7. cap. 14. de ref. Quo loco Conc. ampliare potestatem Episcopis in exemptos virtute cap. 1. de pœnis. in 6. concessam, deducit Rota decis. 702. num. 5. diuers. Super electione autem iudicium huiusmodi conseruatorè, emanauit ordinatio Greg. XIII. ex sententia S. Congr. Conc. vt sequitur.*

*Sancta memoria Greg. XIII. ex sent. Congr. mandauit omnibus procuratoribus Regularium, vt intra mensem in singulis Conuentibus Italia eligant suos conseruatores, coram quibus conueniri possint, ita vt variare non liceat, & significandum hoc Ordinarijs, quod si non elegerint, lapso mense, scribendum ad Ordinarios, quod coram ipsis conueniri possint.*

Simile decretum referetur apud *Confect. in comp. priuil. mend. tit. 4. cap. 9. & apud Quarant. verb. priuil. Regul.*

Intra Claustra item degens Regularis, sed extra ea ita notoriè delinquens, vt populo scandalo sit, ad requisitionem Episcopi à suo superiore puniri debet intra tempus ab Episcopo præfigendum, & si superior requisitus non puniret, ipse Episcopus posset punire. *16.*

*id.*



id. Conc. Trid. sess. 25. de regul. cap. 14. Imò delinquēs hoc modo extra claustrū Regularis & deprehensus in delicto, præsertim si sit suspectus de fuga, posset deduci ad carcerem Episcopi, remittendus ad superiorem suum, cū copia processus, sumpta summaria informatione super delicto commisso. *Abb. in cap. fin. num. 11. 17. & 18. de for. comp. Felin. ib. Aufrer. in repet. Clem. 1. de off. ord. q. 10. prope finem.* quia videlicet ipse Episcopus habet punire sic delinquentem in casu quo superior Regularis nollet punire, vt patet ex textu Conc. cit. & propterea ipsi iuberet, vt informetur de crimine, ad quod necessaria in recenti informatio & detentio; elapso enim criminoso difficilior procederet informatio, testes possent corrumpi, & sic facile eluderetur iudicium contra publicam utilitatem, cui interest crimina punire. *cap. cum fama. de sent. excomm.* vnde etiam videtur hoc priuata personæ concessum apprehendere, nimirum delinquentem fugitiuum. *Abb. lo. cit. & in c. cū non ab homine. de iudic. Anchar. cons. 439. & est gl. not. in l. nullus. C. de Iudic. & l. cap. quinta. ff. ad l. Iulian. de Adult.* Dummodo tamen subsit vera causa, vel suspicio fugæ, & informatio sumatur absq; mora, vt quam primum carceratus remittatur ad suum superiorem, alioquin enim capiens, vel carcerans iniuriosè, & casu non permisso à iure tam Religiosum quam sæcularem Clericum, non euitaret excommunicationem. *gl. in Clem. frequens. v. capiunt. de excess. pral. Abb. ib. n. 4.* Ad maiorē autem dicti, cap. 14. sess. 25. executionem, ne videlicet Regulares superiores Episcopū requirentem puniri delicta aliquo prætextu eludant, emanauit. *Const. Clem. VIII. vt sequitur.*

*Suscepti muneris ratio postulat, vt ea*

*qua in Sacro Trid. Concilio prouidè constituta sunt, ab ijs ad quos spectat inuiolatè obseruari curemus. Mauro sane consilio ipsius Concilij decreto promissum est, vt quicumq; Regularis non subditus Episcopo intra claustra degens, extra ea ita notoriè deliquerit, vt populo scandalo sit, Episcopo instante à suo superiore intra tempus ab Episcopo præfigendam seuerè puniatur, & superior de punitione Episcopum certiore faciat; sin minus, ipse à suo item superiore officio priuetur, & delinquens ab Episcopo puniri possit. Verum quia experientia compertum est, interdum in huiusmodi decreti executione nimis remissè procedi, cum enim Episcopus instat aliquem Regularem eo quo supra dictum est modo delinquentem à suo superiore puniri, sæpè sit vt superior Regularem delinquentem, ad alia suorum ordinū loca extra Episcopi Diocesim ex industria impunitum transmittat, atq; etiam ipse aliquando ad alias provincias se conferat, nec vltius super delinquentis excessibus inquirat, & de eius punitione Episcopum certiore reddat. Vnde nec Regularis delinquens tunc ab Episcopo puniri potest cum extra ipsius Diocesim existat, nec superior qui delinquentem corrigere negligit officio priuetur. Nos pro pastorali nostra sollicitudine præfati decreti executioni, quantum cum Domino possumus fauere, & præmissis malis (vt par est) oportuno aliquo remedio occurrere volentes, de Venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium prædicti Concilij interpretū sententia: Motu proprio, & ex certa scientia, nostris, ac de Apostolica potestatis plenitudine hac nostra perpetuo valitura con-*



ra constitutione, omnibus, & singulis cuiuscumque ordinis, & instituti Regularium, etiam mendicantium superioribus, in virtute sanctae Obedientiae, & sub indignationis nostrae, ac priuationis dignitatum, & officiorum, per eos obtentorum, eo ipso incurrendis poenis, praecipimus & mandamus, ut iuxta praedictum decretum, quilibet ipsorum Regularium non subditum Episcopo, intra claustra degentem, & extra ea ita notorie delinquentem ut populo scandalo sit, Episcopo instante, intra tempus ab Episcopo praefigendum, seuere puniat, ac de punitione Episcopum certiores faciat, & alias decretum ipsum in omnibus & per omnia exequatur. Ceterum si Superior in Regularium delinquentem non animaduernerit, quin imo si illum impunitum ad alia suorum Ordinum loca extra Episcopi Diocesim ut praefertur transmiserit, volumus & simili motu, atque autoritate decernimus, ut superior instante Episcopo intra terminum ab Episcopo praefigendum & sub eiusdem indignationis nostrae ac priuationis dignitatum & officiorum obtentorum, nec non & sub inhabilitatis ad illa & alia in posterum obtinenda, ac ulterius priuationis actiuae & passivae vocis, ad quas à nomine praeterquam à nobis & Rom. Pontifice pro tempore existenti restitui possit ipso facto similiter incurrendis poenis, ipsum Regularium delinquentem à loco ad quem transmissus fuit reuocare, & in quo deliquit constituere seu sistere teneatur. Quod si hoc etiam facere praetermiserit, per praesentes similiter statuimus ut Ordinarius loci ad quem Regularis delinquens transmissus fuerit super praemissis ab ipso Ordinario loci in quo

deliquit similiter requisitus, vel alias de illius delicto informatus ut praefertur, tanquam Sedis Apostolicae delegatus praedictum Concilij decretum omnino exequi & in Regularium delinquentem seuere animaduertere possit & debeat. Decernentes sic & non aliter per quoscumque iudices, &c. Non obstantibus quibusvis eorundem ordinum vel institutorum etiam iuramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegijs quoque, indultis & litteris Apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis & approbatis ceterisque, contrarijs quibuscumque, &c. Nulli ergo, &c. Dat. Romae apud S. Petrum, an. Incarn. Dom. 1595. 7. Cal. Mart. Pont. an. 5.

Idem Regulares degentes intra claustra dum contrahunt vel litigant pro re non exempta seu ratione rei non exemptae, possunt conueniri coram Ordinario cit. c. 1. de priu. in 6. Gem. ib. in 4. not. & in 5. in eos. circa fin. Franch. n. 1. & 2. Ioan. Monach. n. 4. ib. Abb. in c. fin. nu. 11. de for. comp. decis. in c. tuarum. à nu. 44. de priu. Felin. in cit. c. fin. nu. 5. de for. comp. Rot. decis. 702. p. 1. diuers. vbi dicit. cit. cap. 1. de priu. in 6. ampliari decreto Conc. Trid. sess. 14. cap. 7. de ref. nec apparet illi iuri alicubi fuisse derogatum generaliter. Sed tamen Regulares plerique habere dicuntur specialia privilegia etiam contra formam huius. cap. 1. de priu. in 6. vnde usus eiusdem. cap. 1. ex inspectione privilegiorum cuiusque Regulæ videtur moderandus, considerata re vel contractu de quo agitur, ad quod facit doctrina Ioan. Andr. Dom. in cod. cap. 1. & Ioan. Monach. in cap. Episcoporum. de priu. in 6.

Regularis productus in testem coram

Cc

ordina-



ordinarè & falsum deponens pro crimine huiusmodi ibidem puniri potest. *l. nullum. C. de testibus. Ioan. de Anan. in cap. 1. de crim. fals. Abb. in cap. verum. de for. comp. quâ quæstionem latè examinat. As. frer. in Cle. 1. quæst. 4. princ. de off. ord.* Ad hoc facit quod iudex iniuriâ notoriam ab exempto sibi illatam, si per hoc turbatur ipsius iurisdicção punire potest. *Salicet. in cit. l. nullum C. de testib. Abb. in cap. cum venissent. num. 11. de iudic.* Vnde & delegatus punire potest etiam extraneas personas & committant aliquid, quo turbatur ipsius iurisdicção. *Innoc. in cap. 1. de off. deleg. & in cap. dilectus. 1. de pæn. quia nimirum concessâ iurisdicçãoe, concessâ etiam videntur omnia sine quibus illa exerceri non potest cap. præterea. de off. deleg. Abb. ib. num. 4.* Quin imo Episcopus seu Ordinarius nõ solûeam iniuriâ quæ impediret ipsius iurisdicçãoem, sed etiam quamcunq; aliam, dummodo sit notoria, exemptione non obstante vindicare possit. *c. cû & plantare. S. fin. de priuil. cap. 1. de pæn. in 6. vbi dicitur aperte Episcopum iniurias etiam suis illatas punire posse, quod etiam docet Card. in Clem. 1. q. 3. de off. ord. cum dicit exemptos si sint clero graues, vel ei præiudicent denegando quartam vel similia, præsertim si ad Papam difficilis sit recursus, posse ab Episcopo coërceri. hocq; idem vult Innoc. in c. olim. 1. de restit. spol. & in c. vt fama. de sent. excomm.*

Regulares item cum non solvunt decimas Ecclesijs non exemptis de locis ex quibus antequam peruenirent ad eorû possessionem debebatur decimæ, per Episcopum compelli possunt vt solvant. *cap. statuto. §. Diocesani. de decim. in 6. Archid. Dom. Franch. ib. Gemm. conf. 72.* Quo casu etiam excommunicatione Episcopus vti possit, iuxta *Clem. fin. de*

*iudic. & Cle. 1. de decim. ad hoc Rota. de c. 433. in no. Rom. conf. 256.* ad quas autem decimas teneantur latius videbitur infra sub titulo de decimis.

Cum autem communiter Monasteria Regularium à Visitatione Episcopi sint exempta, visitari tamen possunt Monasteria commendata in quibus non viget Regularis obseruantia, nulla præscriptione, priuilegio, conseruatorum deputacione obstante. Et si in eis viget obseruantia Regularis monere debet Episcopus eorum Superiores, vt ipsi visitent, & corrigenda corrigant, qui si intra sex menses visitare neglexerint, Episcopi ipse visitare possit, & corrigere nullo priuilegio aut appellatione obstante. *cit. Conc. Trid. sess. 21. cap. 8. de ref.*

Similiter Monasteria quæ generalibus Capitulis non subsunt, nec suos habent visitatores Regulares, si monita in Congregationes sese non redegerint in omnibus subiecta sunt iurisdicçãoi Episcopi. *id. Conc. Trid. sess. 25. cap. 8. de Regul.* Visitari tamen non possunt huiusmodi Monasteria exemplo commendatorum vigore. *cap. 8. sess. 21. cit.* sed tum demum si in Congregationes sese non redegerint ex voto S. Congr. Conc. interpretum. *die 20. Febr. A. D. 1616. dato vt sequitur.*

S. Congr. Card. Conc. Trid. interpretum censuit non licere Ordinarijs locorum Monasteria Regularium eo prætextu visitare & corrigere, quod illorum superiores admoniti intra sex menses illa non visitauerint, vel correxerint, nisi eadem Monasteria vel sub commenda existunt ex decreto *c. 8. sess. 21. vel suorum ordinum capitibus non subsunt, ac sese in Congregationes redigere neglexerint iuxta c. 8. sess. 25. de Regul.*

Horat. Card. Lancellot.  
Regu-



23. Regulares exempti manentes in pri-  
oribus seu Ecclesijs non comprehensis  
sub illorum priuilegijs, quam diu ibi  
morantur subijciuntur Ordinario. *cap.*  
*1. de priu. in 6. Calder. conf. 13. de for.*  
*comp. Abb. conf. 35. p. 2.* Idque etiam si  
ista Ecclesie vnirentur Monasterijs. *c. cū*  
*Capella de priu. cū exemptio nō possit e-*  
*gredi proprios terminos & concessa*  
*monast. tio nō extēdatur ad Ecclesias vel*
24. *Capellas postea exquirendas, vt notat*  
*Abb. in c. c. cū Capella. & in c. ex ore. n.*  
*4. de priu. Innoc. Host. in eo. c. cū Capella.*  
*Calder. conf. fin. de cens. Rot. decis. 744.*  
*p. 1. diuers. Vnde ratione huiusmodi Ec-*  
*clesiarum non exemptarū tenentur sol-*  
*uere iura Episcopalia. Abb. in cap. consti-*  
*tutus. num. 2. de rel. dom. tenentur ve-*  
*nire ad Synodum Episcopi. id. Abb. in*  
*c. ex ore. sup. cit. eadem Ecclesias reci-*  
*pere non possunt sine auctoritate Epi-*  
*scopi. cap. pastoralis de priu. Doct. ib.*  
*Neque eas possunt applicare mentis suæ,*  
*nec pensiones illis imponere, aut impo-*  
*sitas augere, alioquin possent coërceri*  
*per Episcopum, etiā tanquā Sedis Apost.*
25. *delegatū. Clem. vn. de suppl. negl. prel.*  
*Card. ib. Innoc. in c. Lateranensi de preb.*  
Neque possunt alienare vel in feudum  
concedere bona Ecclesiarum huiusmodi  
sine consensu Episcopi; in eius enim po-  
testate sunt bona Ecclesiarum Diocesis,  
non possunt disponi ipso iure *cap. 1. 2.*  
*& 3. 10. quest. 1.* imò & in alijs bonis  
Regularium alienandis vel infeudandis  
necessaria est auctoritas Episcopi. *cap.*  
*Abbatibus. 12. q. 2. cap. in venditionibus.*  
*17. quest. 4.* præsertim vbi Episcopus  
exemptione nō obstante superioritatem  
circa alienationes bonorum Regulariū  
exercere consueuerit, & communiter  
reputetur in istis pro superiore, valebit  
enim consensus ipsius. *cap. consultatio-*  
*nibus. de iurep. Philip. niger. in tract. de*
- 26.

*exempt. quest. 3. num. 29.* Et hoc in ali-  
enationibus vel infeudationibus licitis:  
alioquin enim in prohibitis requiritur  
consensus Sedis Apostolicæ. *extrauag.*  
*ambitiosa. de reb. Eccl. non alien. comin.*  
Imò & in licitis alienationibus vbi Re-  
gulares sunt omnino exempti à iurisdic-  
tione Episcopi, nec Episcopo suffragatur  
vltus rationabilis, vt diximus, ad Pa-  
pam debent recurrere, cum Papa seu ei-  
us Legatus sit Ordinarius exemptorum.  
*cap. si Abbatem. de elect. in 6.* & ipsius  
consensus est requirendus. *Clem. 1. iun.*  
*gl. v. propriū de reb. Eccles. non alien. In-*  
*noc. in cap. statumus de transact. Vel*  
Vicarij generalis aut prouincialis ipso-  
rum Regularium, cum plerumque illis  
concedatur facultas ad alienationes et-  
iam in consulta Sede Apostolica, vt vidi  
priuilegium Patribus Soc. Iesu ad hoc  
concessum à Greg. XIII. *de data. 19. Dec.*  
*1576. incip. Apostolica Sedis. relatum*  
apud Eman. Roder. *tom. 2. priu. Reg.*  
Vel Abbatis quoad Monasteria inferiora  
illi subiecta, in quibus haberet iurisdic-  
tionem quasi Episcopalem. *Innoc. in.*  
*cap. statumus. cit. Abb. ib. num. 4. & in*  
*cap. significasti. num. 6. de for. comp. &*  
*latissimè Redoan. de reb. Eccles. non ali-*  
*en. quest. 27. à num. 6. & quest. 41. à*  
*num. 60.* Idem Regulares si habeant lo-  
ca Hospitalia, Xenodochia, nulla exem-  
ptione obstante possunt compelli ab Or-  
dinario tanquam delegato Sedis Apo-  
stolicæ, vt bona locorum huiusmodi de  
manibus occupatorum vel usurpatorum  
vindictent, neglectaque vel desolata re-  
staurent. *Clem. fin. de relig. dom.*

Item Monasteria quæuis seu Ecclesie  
locauè Regularium curam animarum  
adnexam habentia, quoad ipsam curam  
visitari possunt ab Episcopo. *cap. per ex-*  
*emptionem. de priu. in 6.* Tum & per-  
sonæ curam huiusmodi exercentes, siue



28. sint Sæculares siue Regulares, in omnibus curam ipsam concernentibus nulla exemptione defendi possunt, quo minus visitentur & corrigantur per Episcopum. Conc. Trid. cap. 7. sess. 7. de ref. & c. 11. sess. 25. de regul. hoc idem habetur in cõstit. Leon. X. supra relata. S. ad conservandam. In exemplum autem rescriptum recens Pij V. referamus, ex quo militum S. Ioã. Hierosolymitani, qui etiam similibus exemptionibus gaudent, Ecclesias in concernentibus ipsam curam Ordinario subiectas esse, & ab eodem visitari posse apparebit, ut sequitur.

Exposcit & infra. Decernimus, declaramus, statuimus, omnes & singulos locorum Episcopos, & alios superiores tanquam Apostol. Sedis delegatos, omnes & quascunq; Parochiales Eccles. ceteraq; beneficia Ecclesiastica suarũ ciuitatũ & Diocesium, quibus animarum cura immineret ad dictam religionem, eiusq; milites, Capellanos, Ministros, Rectores, quomodolibet pertinen. etiam quod in eis Episcopalem & temporalem iurisdictionem Religio & milites prædicti haberent, eorumq; Ecclesias, Rectores, Vicarios, & Ministros quoscunq; (in his tamen duntaxat, quæ animarum curam, illiusq; exercitium, & Sacramentorum administrationem respiciunt) visitare, omnesq; actus visitationem concernentes exercere posse & debere, ac Rectores, ceterosq; huiusmodi ministros curam animarum exercētes, minus idoneos repertos, siquidem ad nutum amouibiles sint, statim amouere, sin vero titulares sint, illic suspendere, ac superiores eorum monere, ut intra aliquem breuem terminum in locum amotorum subrogent alios idoneos, prius tamen per ipsos Episc. & alios supe-

riores examinatos & approbatos; titularibus vero suspensis, deputent alios idoneos pariter examinatos & approbatos, ut sup. in coadiutores seu vicarios, iuxta Decretum Conc. sess. 21. cap. 6. Interea vero, dũ hæc subrogatio seu deputatio fit, ipsi Episcopi & alij superiores pro necessitate curæ animarũ provideant arbitrio suo, quod si Superiores dictorum Rectorum & Ministrorum, intra tempus præfixũ nõ subrogauerint, aut deputauerint, ut supra, tunc dicto termino elapso ipsi Episcopi & alij Superiores alios præuio examine iuxta eiusdem Conc. formam idoneos repertos in locũ amotorum subrogent: titularibus vero suspensis Coadiutores deputent iuxta dictum c. 6. sess. 21. qui tamẽ in dictis Parochialibus perinde inseruiant, ac si subrogati aut deputati ab ipsis Superioribus Religionis & militum prædictorum fuissent. Volumus autem quod Episcopi, & alij Superiores prædicti visitationem huiusmodi, & prædicta omnia solum tanquam delegati Apostolicæ Sedis, & gratis, & absque vlla dictæ Religionis Rectorum impensa & onere faciant: in collatione item ordinum, nec non consecratione Ecclesiarum & Sacrorum vasorum, ac benedictionibus & alijs actibus spiritualitatem concernentibus, ac institutione presentatorum ab eisdem militibus ad beneficia, aut approbatione seu confirmatione, quas ab eisdem fieri harum presentium vigore contigerit, gratis omnia faciant, & diligenter attendant, ut nullos admittant, qui qualitates à Concilio requisitas non habeant, ac præuio examine iuxta eiusdem Concilij decreta idonei non existant. Nolumus autem Episcopos & alios



& alios Superiores locorū suprascripta facultate vti, qui cum eadem Religione & militibus super iurisdictione Episcopali in locis visitan. corā quibuscunq; Iudicibus litigant, nisi ipsi Episcopi & alij Superiores, in quasi possessione antiqua exercitij iurisdictionis huiusmodi existerent, saluo tunc iure vtriq; illaso in petitorio, sed quod Episcopi & alij Superiores viciniore ius aliquod in iurisdictione huiusmodi non habentes, nullumq; in re esse prorsus pretendentes facultate predicta vtantur. Nolumus item per presentes vllum afferri prauidicium iuri visitandi dictas Parochiales Ecclesias & alia beneficia curam animarum habentia, quod antea Religioni & militibus predictis competebat, inhiemusq; expressè dictis Episcopis, & alijs Superioribus, ne hac facultate visitandi eis per presentes concessa alio vtantur modo quam prescripto, sicq; per quoscunq; Iudices, &c. Dat. Rom. apud S. Petrum sub annulo Piscat. die 22. Septemb. 1571. Pontif. nostri an. 6.

Quam tamen dictam curam exerceant, siue saeculares siue Regulares esse debeant, poni debent ad arbitrium Superiorum Regularium loci, non ad arbitrium Episcopi, nisi quod examinari & approbati prius debent ab Episcopo antequā ponantur. Conc. Trid. sess. 24. cap. 18. de ref. & ipsi de cura plebis respondere tenentur. cap. cum & plant. v. §. in Ecclesiis. de priuil. & semel approbati seu instituti per Episcopum, non possunt per Regulares destitui, sed per Episcopum tantum. cap. vn. de Capel. Monac. in 6.

Si etiam in deputanda idonea persona ad curam huiusmodi negligēs essent, vel non deputarent tot personas, quot ad exercitium curae sufficerent, ab Epif-

copo compelli possent, vt deputēt. quod declaratum fuisse à S. Cong. Conc. restatur. Confect. lo. sup. cit. in comp. priuil. mend. tit. 5. c. 4.

Si deputatis ad curam, seu regimen huiusmodi Ecclesiarum non assignaret exempti iustam prouentuum portionē, qua iura Episcopalia ferre, onera debita sustinere possint, ipsemet Episcopus posset supplere & assignare, & ad obseruationem assignationis etia per censuras exemptos compellere. cap. 1. de prab. in 6. Clem. 1. de iurep. Quae autem iusta portio censenda sit, remanet arbitrio Episcopi. arg. tex. in cap. de causis. de off. deleg. & l. 1. ff. de iur. delib. §. 1. qui moderari debet sufficientiam prouisionis, attenda qualitate, personae, loci, onerum, & praesertim si in ferendis oneribus iuuetur curatus ab ipsemet exemptis. Cle. cit. Card. ib. Abb. in c. Episcopus. de prab. Menoch. de arb. iud. casu 169. num. 14.

Iidem deputati ad curam animarum in Ecclesijs Regularium ad Synodum Episcopi venire tenentur. Conc. Trid. sess. 24. cap. 2. de ref. & facit cap. ex ore. de priuil. Franch. in cap. vt Apostolica. de priuil. in 6. Et tenentur ad omnia quae debentur Episcopo lege Dioecesana, vt enumeratur apud Abb. in cap. dilectus. de off. Ord.

Beneficia in quibus habent ius praesentandi, vel etiam instituendi Regulares, si intra debitum tempus nō praesentauerint, vel instituerint, deuoluuntur ad collationem Episcopi. Clem. vn. de suppl. neg. Rebus. in prax. de deuol. nu. 37. nempe si beneficia haec non fuerint quoque exempta; alioquin enim si fuerint exempta, illorum collatio ob negligentiam conferentium, non ad Episcopum, sed ad Papam deuoluetur. cap. cum singula. in fine. de prab. in 6. Abb. in cit. Cle. vn. de suppl. neg. pral. num. 6.

C c 3 Regu-



Regulares iisdem subditi cum Episcopo, quoad confessiones secularium personarum audiendas, ita quod illas audire non possunt, nisi prius fuerint ad hoc approbati ab Episcopo, ad quod ultra Const. Leon. X. supra allatam & Clem. dudum. de sepult. faciunt declarationes alias à nobis relatæ, cū tractaremur materias fori poenitentialis.

Ultra hoc autem, circa easdem confessiones aduertendum est, quod Regulares etiam si habuerint approbationem ab Episcopo ad eas audiendas, adhuc tamen non possunt absolueri in casibus Papæ vel Episcopo referuatis. Clem. 1. de priuil. Neque possunt absolueri excommunicatos, suspensos, interdictos à Canone, vel statuto Prouinciali, seu Episcopali, vel alias à poena & culpa, incurrerent enim excommunicationem Papæ referuatâ ipso facto. Cle. cit. iun. gl. v. sententys. an autem incurrant talē excommunicationem, dum absoluunt ab excommunicatione lata ab homine, videri potest. Abb. in ead. Clem. num. 19. vbi dicit poenam non extendi ad casus non expressos, alijs tamen poenis puniri possent, vt patet ex contextu Clem. cit.

Eandem excommunicationem incurrunt, si administrant infirmo Eucharistiæ, vel extremæ vnctionis Sacramentū, vel si benedicunt Sponso sine Parochi licentia. Clem. cit. & Const. Leon. X. supra relatæ, ad hoc Lap. alleg. 100. Dum tamen administrant alia Sacramenta, vt Baptismi, vel poenitentia, seu alia præter expressa. in cit. Clem. non incurrunt quidem excommunicationem ex sententia Abb. lo. cit. num. 17. sed puniri debet per superiores ad requisitionem Episcopi. ea. Clemen. S. Quibus etiam versus finem.

Similiter incurrunt ipso facto excommunicationis sententiam Regulares, si

aliquid in concionibus, vel fermōnibus prædicant, quo populus à solutione decimarū abstrahatur. Clem. cupientes. de poen. Imò tenentur informare populos in concionibus prima, quarta, & vltima Dominica Quadragesimæ & Festis Ascensionis Dominicæ, Pentecostes, S. Ioan. Baptistæ, & Natiuit. B. M. V. de debito soluendarum decimarum. Obligantur etiam contentibus facere scrupulum, de eisdem decimis soluendis, alioquin remanent ipso facto suspensi. Clem. cit. Hanc tamen poenam non extendi ad Clericos sæculares, notat Abb. in ea. Clem. num. 3. quia nimirum poenæ non extenduntur ad similia ex identitate rationis. cap. poena. de poenit. dist. 1. & l. praes. ff. de poenis. Mohed. decis. 329. alias 1. de sequ. post. hac ratione constitutio disponens de mendicantibus non includit non mendicantes, nisi disponat in genere de religiosi. Abb. lo. cit.

Ordines suscipere non debent Regulares, nisi ab Episcopo loci, & ordinandi examinari possunt super sufficientia. Const. Leon. X. supra relatæ, ad quod etiam videnda declaratio Clem. PP. VIII. supra sub titulo de ord. conferen. relatæ.

Positionem primarij lapidis, consecrationem Ecclesiæ, Altaris, Cæmeterij, petere non debent, nisi à proprio Episcopo. Const. Leon. sup. cit.

Nouum etiam Monasterium ædificare seu fundare non possunt, nisi obtenta licentia ab Episcopo. cap. quidam. cap. de Monachis. 18. quest. 2. Conc. Trid. sess. 25. cap. 3. de Regul. quem autem modū tenere debeat Episcopus in concedenda huiusmodi licentia, ordinauit Clemens VIII. Constitutione sua, qua sequitur.

Quoniam ad institutam Regularium locorum, & personarum reformationē promo-



promouendam, & conseruandam, maxime pertinet, vt in quibuscunq; domibus & Monasterijs is tantum numerus Religiosorum, qui commodè ibidem alios possit contineatur, ac eo pariter spectat, vt in quibuscunq; ciuitatibus, & locis, noua domus, & Monasteria, praesertim mendicantium non erigantur, nisi in eisdem ciuitatibus & locis aliorum domorum & Monasteriorum in eis existentium habitacione, commodè sustentari posse dignoscatur. Hac igitur nos consideratione ducti, & in praemissis pro nostro Pastoralium munere opportunè prouidere volentes, motu proprio, & ex certa nostra scientia, ac matura deliberatione, deq; Apostolica potestate plenitudine, ex voto etiam S. R. E. Cardinalium super cōsultationibus negotijs Episcoporum & Regularium propositorum, harum serie declaramus, locorum Ordinarios non posse licentiam ad nouos conuentus, cuiuscunq; etiam mendicantium ordinis in ciuitatibus & locis, eorū Ordinarij iurisdictioni subiectis, erigendos impartiri, nisi vocatis & auditis aliorum in eisdem ciuitatibus & locis existentium, conuentuum Prohibitis seu Procuratoribus & alijs interesse habentibus, & causa seruatis seruandis cognita constiterit, in eisdem ciuitatibus & locis, nouos huiusmodi erigendos conuentus sine aliorū detrimento comodè sustentari posse. Si verò ab eorum in huiusmodi causis & sententijs ad nos & Apostolicam Sedem prouocari & appellari contigerit, ipsos Ordinarios tam diu erectionem nouorum conuentuum suspendere debere, quousq; à nobis & Apostolica Sede in eadem causa pronunciatum existiterit, irritum nihilominus & inane de-

cernentes quicquid secus super his à quocunq; quauis auctoritate scienter & ignoranter contigerit attentari. Quocirca vniuersis Venerabilibus fratribus nostris, Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis, Episcopis, & alijs locorum Ordinarijs per presentes in virtute sanctae obedientiae districtè precipiendo mandamus, vt praesentes nostras literas obseruent, & obseruari curent & faciant. Non obstantibus, &c. Dat. Roma apud San. Marcum sub annulo Piscatoris, die 23. Iulij. 1603. Pont. ann. 12.

Similiter & oratoria priuata aedificare non possunt, nisi prius ab ordinario fuerint designata. cap. auctoritate. de priuil. in 6. Conc. Trid. sess. 22. in decreta de euit. in celeb. miss. quo decreto derogatum esse priuilegio Regularibus à Sixto LV. cōcesso de celebranda missa quocunq; loco super altari portatili, ita vt hodie post Conc. Trid. hoc priuilegio vti non possint. tenet Confect. loc. sup. cit. tit. 19. cap. 2. hocque idem docet Nauar. in man. c. 25. nu. 82. in fin. Quinimò obligantur & ad alia omnia quae in illo decreto Conc. disponuntur, vt quoad ceremonias superstitiosas, mercedum conditiones, eleemosynarum circa celebrationem importunas exactiones, aliosque abusus ibidem expressos, vitandos, & possunt in istis corrigi ab Ordinario.

Dies festos quos in sua Diocesi Episcopus seruandos praeeperit, Regulares quoque seruare tenentur. cit. Conc. sess. 25. cap. 12. de Regul. circa quam festorum obseruationem emanauit decretum S. Congr. Conc. relatum apud Quarant. loc. sup. cit. his verbis.

Congr. Conc. censuit decretum. cap. 12. vers. Dies etiam festi. sess. 25. de reg.

ita

347



ita esse intelligendū vt Regularium ritus illis festis semper permaneant, quoad missas celebrandas, & cetera diuina officia tam publicè quam priuatim ab ipsis Regularibus in eorū Ecclesijs persolueda, nec circa hæc Episcopi quoquomodo quicquam in contrarium eisdem Regularibus præcipi posse. Quod si de facto præceperint Regulares neuiquam ipsis Episcopi obedire teneri. Verū quoad Concionēs & lectiones quas ydem Regulares ad populū habuerint, debere se conformare Euangelij & Epistolis quibus Clerus Sæcularis vritur illis diebus festis.

36. Censuras & interdicta lata ab Episcopo ad mandatum ipsius Episcopi publicare & obseruare in suis Ecclesijs obligantur. *cap. in Lateranensi de sent. excomm. cap. cum & plantare. S. excomm.unicatos. de priuil. alioquin incurrunt ipso facto excommunicationis sententiam. Clem. 1. de sent. excomm. Abb. in c. cum inter. num. 3. de consuet. Conc. Trid. cit. c. 12. sess. 25.* Et si in locis interdictis celebrent, vel excommunicatos suspensos, interdictos ad Diuina officia, vel ad participationem Sacramentorum admittunt, efficiuntur suspensi, donec satisfecerint ad arbitrium illius cuius contempserint censuras. *cap. Episcoporum. de priuil. in 6.* Quam poenam extendi etiam ad Clericos sæculares notat *gl. v. ingressum. ib. & si celebrarent sic suspensi incurrerent irregularitatem, iuxta text. c. is cui. de sent. excomm. ib. in 6.*

Iidem Regulares si sepeliunt tempore interdicti, seu interdictos, aut excommunicatos, incurrunt ipso facto excommunicationem, à qua non debent absolui, nisi satisfecerint parti lætæ, arbitrio Ordinarij. *Clem. 1. de sepult.*

17. Quomodo autē arbitrari debeat Ordinarius in satisfactione huiusmodi de-

cernenda, colligi potest. *ex gl. in c. dilecti. v. cum iustus, de fo. comp. & alia gl. in c. sacro. v. ad interesse. de sent. excomm.* quo argumento deberent damna declarari iuramento lætæ partis, præmissa ludicis taxatione. plus autem dicit *Abb. in cit. cap. sacro, nu. 16.* quod tuam damnium non solum secundum verum valorem, sed etiam secundum affectionem damnium passi, præfertim si non ex suo dolo conueniatur, debeat æstimari. Et quomodo procedendum sit in tali ætimatione videri potest *Bellamer. decis. 722. Lud. Rom. cons. 97. Dom. in cap. fin. de penis. in 6.*

Indulgentias quasquæ publicare non debent Regulares absque scitu & auctoritate Episcopi. *cit. Conc. Trid. sess. 21. c. 9. de ref.*

38. Quoad quæstiones etiam & Eleemosynarum exactiones, subduuntur Regulares Episcopo in eo, quod delinquentes circa quæstionem puniri possunt, ab Episcopo exemptione non obitante. *Clem. fin. de poenit. & remiss.* Et quod ipsi quæstuantes tenentur Episcopo facere fidem de licentia ad quæstionem à suis superioribus sibi data, idque per literas authenticas superiorum, super quo inuenitur responsum S. Cong. Conc. in hac verba.

An vt quæstores arceantur, possunt Ordinarij facultatem à superioribus Regularium eleemosynæ quærendæ concessarum aliquam cognitionem & qualem habere.

Cong. censuit ex Conc. non prohiberi Regulares mendicantes, quominus eleemosynas quærant, non tamen alios eorum nomine & auctoritate quoquomodo posse quæritare. Illos tamen extra locum vbi sita sunt Monasteria eleemosynas per eandem Diocesim corrogante s, teneri ad ostendendum Ordinario licentiam suorum superiorum.

Exer.



39. Exercentes Regulares negotiationes illicitas moneri possunt vt desistant sub pœna amittendi priuilegij Clericalis. Card. in Clem. 1. q. 2. de vit. & hon. Cler. Ioan. de Anan. in cap. ad abolendam. num. 7. de hæret.

40. Vt accedant ad processiones publicas Regulares, compelli possunt per Episcopum, Abb. in cap. nimis praua. nu. 3. de excess. præl. cit. Conc. Trid. sess. 25. cap. 13. de Regul. cum moderatione tamē S. Congr. qua sequitur.

Sanctæ memoriæ Greg. XIII. decreuit Regulares monasterij vltra medium miliare à ciuitate distantis, non posse ab Episcopo compelli accedere ad processiones que intra ciuitatem habentur.

41. Controuersias de præcedentia in processionibus publicis inter Regulares seu etiam sæculares Clericos quosuis exortas, componere omni appellatione remota pertinet ad Episcopum. id. Conc. Trid. loc. cit. Quis autem modus in eis componendis tenendus sit, declarauit primum Greg. XIII. Constitutione sua relata apud Consect. fol. 250. vt sequitur.

Exposcit Pastoralis officij munus, & infra. De nobis attributa potestatis plenitudine volumus & Apost. auctoritate decernimus, quod quicumq; ex dictis fratribus mendicantibus inter se de præcedentia huiusmodi contendentibus, aut Confratribus, Confraternitatibus prædictarum, inter quos lites & causa præmissorum occasione orta iam sint seu oriri contigerit in futurum, qui quasi in possessione præcedentia, ac iuris præcedendi sunt ij, (quibuscunq; reclamatiombus, protestationibus, appellationibus, & alijs subterfugijs prorsus remotis, & cessantibus, & postpositis) in processionibus tam publicis quam priuatis præcedere debeant. Quando vero non probetur, aut non constet de quasi possessione

præcedentia huiusmodi, inter fratres quidem mendicantes ij qui antiquiores in loco controuersia, inter Confratres verò inter se litigantes, ij, qui prius sacri vsi sunt in processionibus tam publicis quam priuatis præcedere debeant, ita vt si contigerit noua monasteria aut domos alicuius ordinis mendicantium in loco in quo alterius ordinis ex dictis mendicantibus monasteria aut domos prius erecta & instituta sint, ille Ordo qui prius monasterium seu domum in loco habuerit præcedat. Præterea quia inter prædictos ordines plerumq; alia in processionibus, & alia in Concilijs Generalibus, & alijs actibus publicis siue priuatis ratio circa modum præcedendi seruatur, nolimus per præsentis prærogatiuas dictorum ordinum quoad præcedentias huiusmodi quæ proprijs ordinibus, præterquam in processionibus prædictis debentur, aut Fratribus Cappucinis nuncupatis, qui in processionibus publicis sub Conuentualium S. Francisci aut Minorum de Obseruantia fratrum nuncupatorum Cruce, vt solent, incedere possint, aliquod præiudicium generari, sicq; per quoscunq; iudices, &c.

Non obstantibus Constitutionibus & ordinationibus Apostol. nec non Ecclesiarum, Monasteriorum, Ordinum, Congregationum, Domorum, aut Confraternitatum quarumcunq;, etiam iuramento confirmatione Apostolica vel quauis firmitate roboratis, statutis & consuetudinibus, priuilegijs quoq; indultis, & literis Apost. &c. Datum Romæ. apud S. Marcum. die 15. Iul. 1583.

Et iterum Sac. Congr. consulta super dubijs controuersiarum de præcedentia, respondit. die 26. August. 1593. in hæc verba relata, apud Quarani. ver. præcedentia.

Sacra Congregatio Illustrissimorum & Reuerendiss. DD. Cardinalium negotijs,  
D d ijs,



tis, & consultationibus Episcoporum & Regularium profecta, ad tollendas omnes lites & controuersias, que inter Regulares plerumq; solent oriri super eorum precedentia in processibus, ceterisq; actibus, tum publicis, tum priuatis, illud in futurum obseruandum censur, quod in hac alma vrbe omnium magistra seruatur.

Die 30. Augusti 1593. Illustriss. & Reuerendiss. D. Card. Alexandrinus, retulit supra scripta Congregationis sententia Sanctissimo placuisse, & iuxta eam in casibus occurrentibus semper rescribi, & si opportunum fore videbitur, generalem Constit. desuper fieri madasse, illa Greg. XIII. que incip. Exposcit. alijsq; contrarijs quibuscunq; non obstantibus.

Cuius declarationis vigore emanarunt postea Decreta Clem. VIII. vnum pro Prouincijs Aragonie, alterum pro Prouincia Portugallie; pro sedandis litibus ortis occasione huiusmodi precedentie, inter fratres Predicatores Ord. S. Dominici, & Fratres Eremitas S. Augustini, & alios mendicantes, que etiam Decreta inserere hic volumus ad vtilitatem communem, vt sequuntur.

#### Clem. PP. VIII.

**A**D perpetuam rei memoriam. Inter cetera cordis nostri desiderabilia id intentis exoptamus affectibus, vt controuersiarum ac litium materia inter personas Ecclesiasticas e medio tollatur. Sane nobis nuper innotuit, quod in Regnis Aragonum, Valentie, & Catalonia, ac tota demum Prouincia Aragonie Ordini Fratrum Predicatorum, & presertim in ciuitate Oriolen. & Oppido Ciuitate nuncupato Alocante, ac loco de Castella della Plana predicti Regni Valentie, nonnulla lites, quastiones & controuersie interpretados Fratres ex vna, & alios mendicantes, siue Regulares quoscunq; super

precedentia ac ritu incedendi in actibus & processibus, tam publicis quam priuatis, occasione, seu intuitu quarundam literarum fel. rec. Greg. PP. XIII. prad. nostri, in forma Breuii sub die XV. Iulij M. D. LXXXIII. que incipiunt, Exposcit. confectarum, partibus ex altera mota sunt, & moueri seu oriri facile possunt.

Nos considerantes lites, causas, & controuersias huiusmodi presertim inter Religiosas personas, que relictis mundanis vanitatibus votum suum in humilitatis Spiritu Domino Deo nostro persoluere profitentur, non modicam infundere labem, populoq; scandalum generare, ac in hac Vrbe nostra omnium capite, & vnde in omnia regimen seruari consuevit, eum ritum & ordinem seruari, quod in Actibus & processibus tam publicis quam priuatis post Canonicos & Clericos seculares, & antiquos Ordines Monachales, Fratres Ordinis Predicatorum, huiusmodi primum digniorem & honorabiliorem locum obtinent, & ceteros alios Fratres mendicantes, siue alios quoscunq; Regulares procedunt: atq; de antiquitate & preeminencia cuiuslibet Ordinis Fratrum mendicantium, & aliorum Regularium quorumcunq; plenam & indubitata notitiam habentes, ac eorum honoris, & iurium conseruationem, ac pacem & quietem inter eos confouere, & scandala huiusmodi remouere paterno affectu cupientes, ac statum litium, & merita causarum huiusmodi, nominaq; & cognomina iudicium & Collitigantium, & eorum iura & pretenstiones, nec non tenorem literarum dicti Greg. prad. nostri, perinde ac si de verbo ad verbum infererentur presentibus pro expressis habentes: De Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium

luna



Uum, super statu Regularium Deputato-  
rū consilio, & nobis attributa potestatis  
plenitudine, motu proprio, & ex certa  
scientia nostra lites & causas quascūq;  
tam motas, quam mouendas, seu quastio-  
num & controuersiarū materias omnes,  
in quibuscūq; instantijs, coram quibus-  
cūq; Iudicibus indecisas pendentes, ad  
nos harū serie auocamus, & penitus ex-  
tinguimus, & alijs mendicantibus, siue  
quibuscūq; alijs Regularibus, super his  
perpetuum silentium imponimus, ac ve-  
lumus & decernimus in predictis Regnis  
Aragonū, Valentia, & Catalonia, & tota  
demū prouincia Aragonia Ordinis Fratrum  
Predicatorum, & praesertim in ciuitate Ori-  
oken, & Oppido ciuitate nuncupato Ali-  
cante, & loco de Castella della Plana  
huiusmodi eum ritum & ordinem inter  
Fratres Sancti Dominici predictos, &  
alios mendicantes, siue alios Regulares  
quoscūq; cuiusuis Ordinis, vel Religionis  
existentes seruari debere, qui in hac vr-  
be nostra omnium capite seruatur; vide-  
licet quod in omnibus actibus & Procef-  
sionibus tam publicis, quam priuatis, post  
Canonicos, & Clericos faculares, & an-  
tiquos Ordines Monachales, si qui ince-  
rint, dicti Fratres Ordinis Predicatorū  
primum digniorem & honorabiliorem  
locum obtineant, ita ut dicti Fratres Sā-  
cti Dominici immediate postmodo om-  
nes subsequantur, post quos omnes alij  
Regulares, tam mendicantes, quam non  
mendicantes, cuiuscūq; Ordinis & Re-  
ligionis existant, incedent & subsequen-  
tur, etiamsi Ecclesia, Capella, Conuentus,  
Domus & loca Regularia dictorum Fra-  
trum Predicatorū in locis predictis pri-  
mo instituta & fundata non fuerint,

prout nos id de facto obseruari volumus,  
& pronūciamus. districtè in virtute san-  
ctae obedientiae, & sub excommunicatio-  
nis maioris latae sententiae, eo ipso per cō-  
tra facientes incurrenda poenae, omnibus  
& singulis, quorūcūq; aliorum Ordi-  
num pro tempore Religiosis siue Regu-  
laribus inhibētes, ne de cetero praemisso-  
rum occasione Ordinem Fratrum Predi-  
catorum huiusmodi, illiusq; Fratres pro  
tēpore existentes, molestare, inquietare,  
perturbare, aut quoquomodo impedire  
audeant vel presumant. Sicq; per quos-  
cūq; Iudices & Commissarios, quauis  
auctoritate fungentes, etiam causarum  
Palatii Apostolici Auditores, & S. R. E.  
Cardinales, sublata eis & eorum cui-  
bet quauis aliter iudicandi & interpre-  
tandi facultate & auctoritate, vbiq; iu-  
dicari ac desiniri debere: Nec non irri-  
tum ac inane, si secus super his à quoquam  
quauis auctoritate, scienter vel ignoran-  
ter contigerit attentari. Quocirca vni-  
uersis & singulis Venerabilibus Fratri-  
bus, Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis  
& dilectis filijs Abbatibus, Prioribus, &  
alijs personis quibuscūq; in dignitate  
Ecclesiastica constitutis, per praesentes  
motu simili mandamus, quatenus ipsi, vel  
eorum quilibet per se, vel alium, seu alios  
vbi & quando opus fuerit, & quoties pro  
parte dictorum fratrum Predicatorum  
fuerint requisiti, eis efficacis defensionis  
praesidio assistentes faciant, auctoritate  
nostra, praemissa omnia obseruari iuxta  
praesentium contineritiam & tenorem:  
Contradicentes quoslibet ac rebelles &  
praemissis non parentes, per sententias, cē-  
suras, & poenas Ecclesiasticas compescen-  
do, vocato etiam ad hoc si opus fuerit au-



xilio brachij secularis: Non obstantibus literis dicti Greg. prædecessoris nostri, alijsq; præmissis, nec non quibusvis constitutionibus & ordinationibus Apostolicis, &c. Dat. Roma apud S. Marcum sub annulo Piscatoris, die XXV. Septemb. 1592. Pontificatus anno primo.

M. Vestr. Barbianus.

Et iterum idem Clemens VIII.

Ad perpetuam rei memoriam. Romanum Pontificem a qui boniq; assertorem decet litibus & cõtrouersis quibuscunq; inter Ecclesiasticas & Religiosas personas vigētibus, vt ij in vocatione sua quietius Deo seruire studeant, finem perpetuū imponere, prout in Domino salubriter cõspicit expedire. Alias si quidem à nobis emanarunt literæ tenoris subsequenti, videlicet. Ad perpetuam memoriam Regimini militiãs Ecclesia disponente Domino præsidentes circa statum Religiosorum prosperè dirigendum, & ad remouenda quæ pium eorum propositum impedire possunt intendentes, ijs quæ propterea per prædecessores nostros concessa sunt, vt firmiter subsistant, Apostol. muniminis præsidium propensius impartimur, alijsq; desuper disponimus, prout in Domino salubriter conspiciamus expedire. Cum itaque sicut nobis nuper expositum fuit pro parte fratrum Prædicatorum in Regno Portugallia nonnullæ lites, causæ & cõtrouersia inter eosdem fratres Prædicatores, & fratres Eremitas Sancti Augustini super præcedentia, vel iure præcedendi orta, nonnullæ sententiæ in illis partibus ad fauorem dictorum fratrum Prædicatorum, & contra fratres Eremitas prædictos in causis huiusmodi latae

fuerint. Nos considerantes fratres ipsos Prædicatores primum, digniorem & honorabiliorem locum, inter ceterarum quorumcunq; aliorum ordinum mendicantium Religiosos obtinere, attendentes eum ritum & ordinem in Vrbe obseruari, quod immediate post aliquos ordines Monachales subsequuntur fratres Prædicatores, ac lites, causas, & cõtrouersias huiusmodi non modicum perpetuo scandalum generare; ac de antiquitate & præeinentia cuiuslibet Ordinis fratrum mendicantium certiorati, nec non pacem & quietem inter eos confouere, scandala remouere, paterno affectu zelantes, causarum huiusmodi status, & merita, nominaq; & cognomina Iudicij, & Collitigantium eorumq; iura & prætensiones, ac literarum sel. rec. Pij Pape Quinti prædecessoris nostri, quæ incipiunt. Diuina. sub die 22. Augusti, Pontificatus sui ann. 3. & aliarum quarũcunq; desuper confectarum, ac sententiarum in causis huiusmodi litarũ tenores perinde ac si de verbo ad verbum insererentur, præsentibus pro expressis habentes, ipsasq; literas Pij prædecessoris cum omnibus & singulis in eis contentis, clausulis, decretis, & derogationibus approbantes & confirmantes, de consilio Venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium, super statu Regularium deputatorum, & nobis attributa potestatis plenitudine, ac motu proprio, & ex certa scientia nostra Apostolica autoritate tenore præsentium lites & causas superscriptas, ac quascunq; questionum & cõtrouersiarum materias, si quæ desuper vbilibet in Romana Curia, vel extra eam etiã in nostro causarũ Palatij Apostolice



folici Auditoris, in quibuscunq; instan-  
 tijs, inter quoscunq; etiam indecisa pen-  
 dent, ad nos auocamus, & penitus extin-  
 guimus, ac fratribus aliorum quorum-  
 cunq; Ordinum mendicantiũ, seu Regu-  
 larium super his perpetuum silentium  
 imponimus. Nec non statuimus & ordi-  
 namus in futurum, ritum & ordinem  
 qui in vrbe predicta omnium capite, &  
 in qua omnium regimen seruari consue-  
 uit, & actu seruatur, seruari solitum,  
 tam in sessionibus & congregationibus  
 quorumcunq; Generaliũ, Prouincialium  
 & Synodaliũ Conciliorũ, quam processio-  
 nibus, ministerijs, & alijs actibus publi-  
 cis, vel priuatis, in quibuscunq; ciuitati-  
 bus, oppidis, terris, castris, & alijs locis di-  
 cti Regni Portugallia seruari debere; ita  
 vt dicti fratres Predicatores, immedia-  
 te post antiquos ordines, tam mendicã-  
 tium, quam Regularium procedant, et-  
 tiam si illic Ecclesias, Domos, aut Con-  
 uentus primi habuerint, aut habeant,  
 aut aliorum ordinum mendicantium, &  
 Regularium fratres & Religiosi in eisdẽ  
 ciuitatibus, & locis antiquiores pro tem-  
 pore, eorumq; Ecclesie, Capella, Domus,  
 & loca Regularia ibi primum instituta  
 fuerint, districtè in virtute sancte obedi-  
 entie, sub excommunicationis maioris eo  
 ipso incurrenda pena, omnibus & singu-  
 lis quorumcunq; aliorum mendicantium  
 & Regularium ordinum pro tempore Re-  
 ligiosos inbibentes, ne de catero promif-  
 sorum occasione ordinem fratrum Pra-  
 dicatorum huiusmodi, illiusq; pro tempo-  
 re Religiosos quoscunq; molestare, in-  
 quietare, perturbare, aut quoquomodo  
 impedire audeant seu presumant; ac de-  
 seruentes sic in premisis omnibus & sin-

gulis, per quoscunq; Iudices & Cõmissa-  
 rios quauis auctoritate fungentes, etiã  
 S.R.E. Cardinales, & Causarum Palatii  
 Apostolici Auditores, in quauis causa &  
 instantia etiam per appellationem pen-  
 dente, iudicari, definiri debere, sublata  
 eis & eorum cuilibet quauis aliter iudi-  
 candi & interpretandi facultate & au-  
 thoritate; ac irritum & inane, quid-  
 quid secus super his à quoquam quauis  
 auctoritate, scienter vel ignoranter con-  
 tingerit attentari. Quocirca vniuersis &  
 singulis Venerabilibus fratribus nostris  
 Patriarchis, archiepiscopis, Episcopis, &  
 dilectis filijs Abbatibus, & alijs Ecclesia-  
 rũ Pralatis & personis, in dignitate Ec-  
 clesiastica constitutis, in dicto Regno Por-  
 tugallia existentibus per Apostolica scri-  
 pta mandamus, vt has nostras literas &  
 in eis contenta quacunq; inuolabiliter ob-  
 seruent, & obseruari curet, & pricipiãt  
 auctoritate nostra, ac ipsi, vel duo, aut v-  
 nus eorum per se, vel aliũ seu alios quan-  
 do & quoties opus fuerit, & pro parte di-  
 ctorum fratrum Predicatorum, aut ali-  
 quorũ ex eis fuerint requisiti, eis effica-  
 cu defensoris presidio assistentes, faciãt  
 auctoritate nostra promissa obseruari.  
 Contradictores quoslibet ac rebelles &  
 premisis non parentes, per sententias, cõ-  
 suras, & penas Ecclesiasticas, aliãq; op-  
 portuna iuris & facti remedia, appella-  
 tione postposita cõpescendo, inuocato etiã  
 ad hoc si opus fuerit auxilio brachij sa-  
 cularis. Non obstantibus literis pie me-  
 morie Greg. Papæ XIII. etiã predecesso-  
 ris nostri sub die quinta Iulij Pontificatus  
 sui anno decimosecundo, & alijs Aposto-  
 licis constitutionibus, & ordinationibus,  
 ac ordinum quorumcunq; iuramento cõ-

Da 3 firma



firmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, & consuetudinibus, nec non omnibus illis quae dictus Pius praedecessor in suis literis Apostolicis voluit non obstare, ceterisque contrariis quibuscunque, ceterum quia difficile foret praesentes nostras literas, ad singula quaecunque loca ubi necesse fuerit deferri, volumus, & dicta auctoritate decernimus, quod praesentium transumptis manu alicuius Notarii publici subscriptis, & sigillo alicuius Praelati in dignitate Ecclesiastica constituti, munitis eadem prorsus fides adhibeatur, quae praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensa. Datum Tusculi sub annulo Piscatoris die 28. Septembris, M. D. X C II. Pontificatus nostri anno primo. Cum autem postea dictarum literarum executionem ex causis tunc expressis, & donec nos aliud mandatum dedissemus per alias nostras in simili forma Breuis literas suspenderit, & deinde etiam per literas Dilecti Filii nostri, Petri Diaconi Cardinalis Aldobrandini nuncupati nostri secundum carnem ex fratre germano nepotis, venerabili Fratri Patriarchae Hierosolymitano, tunc in eisdem Regnis Vice legato, & collectori generali directas mandauerimus, ut donec huiusmodi causa à nobis terminaretur, ne interim aliqua scandala orirentur, & pro maiori diuini cultus seruitio fratres dictorum ordinum in processibus alternatim praecederent, prout in dictis nostris & dicti Petri Cardinalis literis plenius continetur. Cumque nos interim & postea Fratrem Andream Texerium Ordinis Praedicatorum, & Fratrem Aluarum de Iesa Ordinis Eremitarum S. Augustini dictorum Reg-

norum procuratores audierimus, ac eorum iura, & praetensiones primum dilectis filiis nostris, Camillo Sanctorum Ioannis & Pauli Burghesio, & Casari SS. Nerei & Achillei Baronio, ac deinde etiam postquam eisdem Camillus & Casar suam nobis sententiam ad fauorem dictorum fratrum Praedicatorum retulerint, Laurëtio, S. Laurëtij in pane & perna Blanchetto, nec non Pompeio, S. Balbina titularum Arragonio nuncupatis, S. R. E. Cardinalibus diligenter iterum examinanda & nobis referenda commiserimus. Ipsique, Camillus & Casar, Laurentius & Pompeius Cardinales denuo procuratores praefatos ac eorum aduocatos pluries similiter audierunt, ac documenta, scripta, iura & praetensiones quascunque, hinc inde deductas diligentissime examinauerunt, demum omnes idem nobis retulerunt: Nos in supremo iustitiae throno Diuina disponente Clementia constituti, lites, & differentias huiusmodi inter Religiosos praedictos diutius vigere nolentes, ac propterea lites, differentias & causas huiusmodi denuo quantum opus sit ad nos harum serie auocantes, illasque penitus perpetuo extinguentes, eisque fratribus Ordinis Eremitarum S. Augustini eiusdem Regni perpetuum desuper silentium imponentes, Motu proprio ex certa scientia ac matura deliberatione nostris, de quo Apostolica potestatis plenitudine praesertim literas, ac omnia & singula in eis contenta auctoritate Apostolica tenore praesentium perpetuo confirmamus, approbamus, & innouamus, illasque perpetuis futuris temporibus valere, ac à praedictis fratribus Eremitis, & quibuscunque alijs quos cernunt inuisolabiler



ter obseruari debere statuimus & ordinamus. Districtius in virtute sanctæ Obedientie & sub pœnis & censuris Ecclesiasticis in eisdem præinsertis literis contentis, nec non priuationis actiua & passiuæ, & officiorum, & dignitatum quatumcunq;, ac perpetua ad illa & alia obtinenda inhabilitatis, eo ipso absq;, aliqua iudicis declaratione incurrendus, omnibus & singulis quorumcunq; mendicantium & aliorum Regularium Ordinum pro tempore Religiosis inhibentes, ne de cætero præinsertis ac præsentibus literis, quouis prætextu, vel quæsito colore contrauenire, aut ordinem fratrum Predicatorum huiusmodi illiusq;, pro tempore Religiosos vltimus quoquomodo molestare, inquietare, aut perturbare vel impedire audeant seu præsumant; irritum, nihili & inane decernentes quicquid secus super his ab eis, aut quibuscunq; alijs contigerit attentari. Mandantes propterea Vniuersis & singulis, Venerabilibus Fratribus, Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, ac dilectis filijs, eorum officialibus, nec non Abbatibus & alijs Ecclesiasticis prelati & personis in dignitate Ecclesiastica constitutis, eiusdem Regni, vt præinsertas, ac præsentibus nostras literas, & in illis contenta quacunq;, perpetuo inuiolabiter obseruent, & obseruari faciant, nec non vt ipsi aut duo vel vnus eorum aliquando, & quoties opus fuerit aut pro parte dictorum fratrum Predicatorum, aut aliquorum ex eis fuerint requisiti, easdem præsentibus solenniter publicantes, illisq;, in præmissis efficacis defensionis præsidio existentes faciant auctoritate nostra illos eorundem præmissorum effectu paci-

fice frui, & gaudere, non permittentes eos desuper à prædictis fratribus ordinis Eremitarum, aut quibuscunq; alijs quomodolibet molestari, perturbari vel inquietari. Contradictores quoscunq;, & rebelles eisdem auxilium, consilium, vel fauorem publicè, vel occultè, directè, vel indirectè quomodolibet præstantes, per prædictas & alias censuras, & pœnas Ecclesiasticas etiam sepius aggrauandas, aliq; oppor. una iuris & facti remedia appellatione postposita compescendo. Inuocato etiam ad hoc si opus fuerit auxilio brachij secularis, non obstantibus præmissis, ac omnibus illis qua in præinsertis literis volumus non obstare, cæterisq; contrarijs quibuscunq;. Datum Romæ apud S. Petrum sub annulo Piscatoris, die 16. Martij, 1600. Pontificatus nostri anno nono.

M. Vestr. Barbianus.

Subduntur præterea Regulares Episcopo quoad contributionem pro Seminario præstandam, eam enim pro modo facultatum monasterij cuiusque imponere ipsis potest Episcopus. *Conc. cit. cap. vlt. sess. 23.* vbi tamen excipiuntur mendicantes, quorum nomine quinã intelligi debeant, declarauit Pius V. Constitutione sua *relata apud Conf. cit. fol. 290.* cuius verba sequuntur.

Romanus Pontifex. & infra: Motu proprio non ad ipsorum fratrum vel alicuius eorum nobis super hoc oblata petitionis instantiam, sed ex certa nostra scientia, ac de Apostolica potestatis plenitudine, omnes & singulos quatuor mendicantium ordines, videlicet S. Domini, & S. Francisci, ac Eremitarum S. Augusti-



Augustini, nec non Carmelitarum, & quos etiam recenseri volumus seruorum B. Mariae nominibus comprehensos Fratres eorumque domus, monasteria, & loca, etiam si in communi propria bona tam mobilia quam immobilia & stabilia, ac alia quaecumque possederint, mendicantium vocabulo, & omnibus & singulis mendicantium priuilegijs, eis quomodolibet concessis, uti posse & debere, nec super praemissis vlllo vnquam tempore molestari posse auctoritate Apostol. per praesentes statuimus, & declaramus. ac tam Concil. Trid. quam omnia & singula alia decreta, statuta, ordinationes, priuilegia & iura de mendicantibus loquentia, ad omnes & singulos ordines praefatos eorumque domos & loca, etiam propria bona, in communi tamen retinentes, extendimus & ampliamus, illaque de illis loqui etiam auctoritate praefata per easdem praesentes declaramus. Ac insuper eisdem Ordinarijs & quibusuis alijs tam Eccles. quam Secularibus quauis auctoritate fungentibus in virtute Sanctae Obedientiae & alijs arbitrio nostro moderandis poenis similiter per praesentes mandamus, ut si quid per eos tam nostro quam praedecessoris nostri temporibus, tam ratione Seminarum, Subsidij, & decimarum, quam aliorum onerum huiusmodi exactum fuit, id totum eisdem fratribus omni mora & dilatione postpositis restituat, districtius inhibentes eisdem locorum Ordinarijs, ceterisque personis tam Ecclesiasticis quam secularibus quauis auctoritate fungentibus, & cuiusuis dignitatis, gradus, & conditionis existentibus, ne eosdem mendicantium ordinum fratres praefatos bona huiusmodi retinen-

tes, quouis praetextu super Seminarum Subsidij, & decimarum contributione molestare, inquietare, vel perturbare audeant vel praesumant. Decernentes, &c. Datum Roma die 1. Octob. 1567. Pontif. anno 2.

Patres quoque Societ. Iesu inter mendicantium ordines comprehendi voluit idem Pius V. Constit. quae sequitur.

Pius Papa V. ad futuram rei memoriam.

**D**um indefessa considerationis intuitu perscrutamur quantam Christiana Reipub. utilitatem attulerint dilecti filij Presbyteri Soc. Iesu, ac plane conspiciamus eos verè mundi huius relictis illecebris se adeo Saluatori suo dedicasse, ut conculcatis thesauris, quos arugo & tineae comedit, lumbisque paupertate & humilitate praeinctis, non contenti terrarum finibus, vsque ad Orientales, & Occidentales Indias penetrauerint, ac eorum aliquos Domini amor perstrinxerit, ut etiam proprii sanguinis prodigi, ut verbum Dei inibi efficacius plantarent, Martyrio voluntario se supposuerint, perque eorum spiritualia exercitia etiam Regna ipsa fidem Christi agnouerint, ac tam inibi quam vbiq. terrarum charitatis & misericordiae opera exercere studeant, facere nullo modo possumus, quin eos tanquam veros palmites, in Christo per charitatem coniunctos, & benigne amplectamur, & ea sibi specialiter concedamus; quae & paupertatis per eos emissa vota, & eorum instituto ac communitati credimus profutura. Hinc est quod nos attendentes quod licet dilecti filij

Prapo-



Præpositus Generalis & Presbyteri Soc. huiusmodi, tum quia ipsa Societas mendicans existit, quippe quæ ex eius instituto & constitutionibus Apostolica auctoritate confirmatus, bonastabilia possidere nequit, sed in certis eleemosynis, fidelium largitionibus & subventionibus vivit, tum quia non minus quam ceteri mendicantes in excolenda vinea Domini assidue laborant, fructusque urgentes & saluiferos producant, ac propterea eisdem privilegijs, indultis, & gratijs fratribus mendicantibus hæctenus concessis uti, frui, potiri, gaudere, merito possint ac debeant. Cum autem illud aliquando in controuersiam deduci possit, ex eo quod dicta Societas Collegia habeat secum adiuncta. Nos ambiguitatem huiusmodi omnino amputare volentes, eosdem Præpositum & Societatem, eorumque singulos, à quibusuis excommunicationis, suspensionis, & interdicti aliisque Ecclesiasticis sententijs, censuris & pœnis à iure vel ab homine quauis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet inmodati existant, ad effectum presentium duntaxat consequendum harum serie absoluentes, & absolutas fore censentes, nec non dictæ Soc. instituti constitutionem & dispositionem tam de iure, quam ab homine prouenientium, nec non priuilegiorum, immunitatum, indulgentiarum, & gratiarum mendicantibus fratribus huiusmodi quomodolibet concessorum, ac litterarum desuper confectarum tenores presentibus pro expressis habentes. Motu proprio non ad ipsorum Præpositi Generalis & Societatis vel alicuius eorum aut alterius pro eis nobis super hoc oblata petitionis instantiâ, sed ex mera liber ali-

tate & certa scientia nostris, illâ & illius Præpositum ac singulas personas Societ. huiusmodi verè & non fictè mendicantes fuisse, & esse & fore, & inter aliorum Fratrum & Religiosorum mendicantium Ordines, aliosque Fratres & Religiosos mendicantes, prout illas nos connumeramus & connumerari debere, ac omnes & singulos tam iuris quam hominum dispositiones in fauorem Religiosorum seu Fratrum mendicantium, nunc & pro tempore emanatas, etiam in Societ. illiusque domibus, Collegijs, Præposito, & alijs Religiosis locum habere: nec non omnia & singula quacunque, quocunque, & quacunque sint, & speciali nota digna priuilegia, immunitates, exemptiones, facultates, concessiones, indulta, indulgentias, peccatorum remissiones, & gratias tam spirituales, quam temporales, litterasque Apostolicas etiam iustitiam siue mixtum concernentia hæctenus per nos & quoscunque, alios Pontifices, tam prædecessores, quam successores nostros, & denique Sedem Apostolicam & illius Legatos de latere, siue Nuncios & quoscunque, alias personas, quauis auctoritate fungentes, etiam motu & scientia similibus, ac de Apostolica potestati plenitudine etiam consistorialiter tam in genere, quam in specie, & tam communiter & coniunctim, quam particulariter & disiunctim, etiam per modum extensionis, seu communicationis & alias quomodolibet quibusuis Ordinibus fratrum & sororum mendicantium quocunque nomine nuncupentur, illorumque Congregationibus, Conuentibus & Capitulis, ac viriusque sexus personis, ac illorum monasterijs, domibus, Ecclesijs, hospitibus,



libus, & alijs pijs locis hactenus concessa & in posterum concedenda, quorum omnium & singulorum tenores ac si de verbo ad verbum inserti forent, presentibus pro insertis & expressis habere volumus, eisdem Praeposito, ac Societati & omnibus illius personis, domibus ac Collegijs, vbiq; terrarū sitis, ita quod Societas, Domus, Collegia, Praepositus, & persona huiusmodi omnibus & singulis praedictis privilegijs, immunitatibus, exemptionibus, facultatibus, concessionibus, indulgentijs, remissionibus, gratijs, & literis, eiusdem fratrum & sororum mendicantium Ordinibus, Congregationibus, Conuentibus, Capitulis, Personis, Monasterijs, Domibus, Ecclesijs, Hospitalibus, & alijs pijs locis, vt praefertur concessis, & concedendis antepotuerint, ex nunc ac in futurum, dummodo instituto Societatis & praepositi seu deputatarū personarum huiusmodi voluntatis beneplacito non refragemur, possint liberè & licitè vri, frui, potiri & gaudere, in omnibus & per omnia, non solum ad illorum instar, sed pari formiter & aequè principaliter, abq; vlla prorsus differentia, perinde ac si Societati Praeposito, personis, domibus, & collegijs praedictis nominatim specialiter ac generaliter concessa fuissent, Apostolica auctoritate tenore presentium perpetuò sancimus, volumus, & declaramus, ac pariter concedimus, indulgemus, & elargimur. Decernentes presentes litteras nullo vnquam tempore, per nos, & Sedem praedictam reuocari, aut limitari, vel illis derogari posse, neq; sub vllis similibus vel dissimiliū gratiarum reuocationibus, alterationibus, limitationibus, derogationibus, aut alijs

contrarijs dispositionibus, nunc & pro tempore emanatis comprehendi, sed semper ab illis excipi, & quoties reuocari, alterari, limitari, & derogari contingat, toties in pristinum & eam in quo ante praemissa erant statu restitutas, & nouo etiam sub posteriore data, per pro tempore existentem, Societ. huiusmodi Praepositum Generalem eligendam, concessas esse & fore. Ac ita & non aliter per quoscunq; iudices, tam ordinaria, quam delegata & mixta auctoritate fungentes, etiam S. R. E. Cardinales, etiam Sedis Apostolicae legatos de latere, & Nuncios, ac causarum Palatii Apostolici Auditores sub lata eis, & eorū cuiilibet quauis aliter iudicandi facultate vbiq; & in quauis instatia interpretari, censeari, iudicari, cognosci, & decidi debere. Irritum quoq; & inane quidquid secus super his à quoquam quauis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari. Quocirca Venerab. Fratribus, Patriarchis, &c. Non obstantibus. &c. Dat. Roma apud S. Petrum sub annulo Piscatoris, 1571. die 7. Iulij, Pontif. anno 6.

Similiter & ordo minorum S. Francisci de Paula annumeratus fuit inter mendicantes ab eodem Pio V. Const. sua, incip. Apostolica de anno 1567. 9. Nouemb. & alia Const. incip. Romanus. eiusdem eod. anno 19. Nouemb. Congr. Ieluatorum mendicantium ordinibus annumerata fuit. Et demum Clemens VIII. Const. incip. Rom. Pontificem decet. anno 1603. 20. August. Carmelitas discalceatos declarauit esse ex ordine mendicantium. Quod autem Pius V. Const. sua: incip. Ex superna. de anno 1567. 17. Kal. Sept. priuilegia mendicantium



santium communicauerat alijs etiam Regularibus non mendicantibus, vt Canonici Regularibus S. Augustin. Calfinen. Cistercien. Montis oliueti, Vallis umbrosæ, & alijs, hoc totum reuocatum postmodum fuit per Greg. XIII. Const. incip. In tanta. supra à nobis relata.

Moderata etiam fuerunt priuilegia Regularium vt ad leuanda defunctorum corpora intra Parochiam cum cruce si nescitu Parochi intrare non possint. à Leon. X. in Concil. Lateran. cit. Const. Dum intra mentis arcana. Super quo extat etiam declaratio Sacr. Congr. relata apud Quaran. ver. priuilegia Regul. cit. hoc verborum tenore.

Licet in Sacro generali Lateranensi Concilio statutum & ordinatum fuerit, vt fratres ordinum mendicantium, cateriq; Regulares non possint intrare Parochias cum Cruce ad leuanda funera eorum, qui apud Ecclesias Domorum & locorum eorundem suam elegerint sepulturam, nisi prius pramonito & requisito, ac recusante Parochiano Presbytero, & tunc sine eius & Ordinarij praiudicio: significatum tamen est Sac. Congr. S. R. E. Card. negotiis Episc. & Regulariū prapositione, nonnullos fratres, praesertim Ordinis Minorum de Obseruantia, cuiusdam consuetudinis prae-textu, quam neq; antiquitate vallari neq; obseruantia viridi inniti, neq; pacifica & non interrupta possessione firmatam esse constat, contendere sibi licere defunctorum funera proprio eorum Parocho absente, eoq; irrequisito efferre & leuare, idq; haud leues controuersias, & altercationes, aliquibus in locis non sine populi scandalo & Dei offensione excitasse. Ideo volens eadem Sacra Congreg. omnem eiusmodi

dissensionum & scandalorum materiam & occasionem praecidere, atq; in futurum prouidere, vt tam Parochi quam Fratres ipsi vnanimi inter se voluntate, & ea quae par est charitate, vltima hac Christiana pietatis officia defunctis praestent, declarat, & huius decreti tenore statuit praedictis Fratribus Ordinis Minorum de Obseruantia, alijsq; quibusuis Regularibus quorumcumq; Ordinum & Congregationum tam mendicantium quam non mendicantium existant, nullo modo licere etiam specialis alicuius consuetudinis prae-textu Parochias cum Cruce processionaliter, aut alias ad efferenda & leuanda defunctorum funera intrare, vel illa leuare & efferre, nisi vocato & expectato proprio defuncti Parocho, eoq; ibidem praesente. Si tamē ipse aliter fieri non consentiat & permittat, vel nisi requisitus venire expresse omnino recuset. Atq; ita obseruari mandat & districtè praecipit firmis, cateroq; & in suo robore permanentibus ijs omnibus quae super quarta funerum & Canonica portione, alijsque iuribus ad sepulturas pertinentibus à sacris Canonibus & Conciliorum Decretis summorumq; Pontificum Constitutionibus haecenus sancita ordinata sunt, vel alias ex particulari consuetudine vel alio iure obseruantur. Roma die 12. Ian. 1603.

Alex. Card. Flor.

Hieronim. Augucchius Secret.

Quartam funeralium si non soluunt loci Parocho Regulares, possunt quoq; coërceri per Ordinarium. Felin. in cap. significasti. num. 1. de for. comp. Card. in Clem. 1. q. 3. de off. ord. Tenentur enim eam soluere exemptione non obstante.

Ec 2

Clem.



45. *Clem. dudum. de sepul. Abb. in c. officij. de testam. & in c. relatū. de sepult. Barbat. in cit. c. officij. col. 24. à nu. 16. & Conc. 1. col. 4. vol. 4. Conc. Trid. sess. 25. c. 13. de ref. vbi reuocat omnia priuilegia in contrarium. In locis nimirum in quibus solita essent huiusmodi funeralia persolui. vt patet ex tex. Conc. cit. sicut & de quota funeralium soluenda loci cuiusuis specialis vsus vel conuentio cum curato attendi debet. *Consect. in cit. sum. tit. 20. cap. 1.* Similiter quæ intrent sub nomine funeralium & vsu loci cuiuslibet iudicandum est. *cap. certificari. de sepult. & gl. in cap. 1. v. tertiam partem. ib. Abb. in Clem. dudum. cit. à num. 30.* alioquin. *ex tex. Clem. eiusdem. §. verū ne.* nomine funeralium medietas tã illorum quæ circa funus deferūtur, quã etiam legatorum ratione sepultura Ecclesie in qua sepultura eligitur, venire deberet. Allegas autem hunc vsum, eum probare tenetur. *DD. in c. 1. de prescript. in 6.* Et quidem probare debet prescriptionem, non consuetudinem: cum enim agitur de acquirendo certo iure alteri debito, licet agatur inter duo Collegia seu Capitula, vel communitates, non cadit consuetudo seu prescriptio. *Abb. in cap. fin. num. 20. de consuet. & in cap. cum Ecclesia Sutrina. à num. 45. de caus. poss. & propr. Casar. de Graß. decis. 11. alius vn. de consuet. & decis. 129. alias 2. de his quæ fiunt à maior. par. cap. Rip. respons. 4. lib. 2. num. 11.**
46. Quartam autem Episcopo debitam non tenentur dare Regulares exempti, cum hæc debeat in signum subiectionis, & illi non sunt subiecti Episcopo. *Abb. in cap. officij nu. 6. de testam. & cons. vro. circa fin. p. 2. Ioan. Andr. in cap. certificari. cit. de sepult. Bald. in l. si quis ad declinandam. col. 6. C. de Epis. & Cler.*
47. Regularis item suscipiens onus exc-

quationis testamenti permi sū superiorum, tenetur reddere rationē executionis suæ Episcopo, & si in a deliquerit, potest puniri ab eodem. *Clem. vn. de testam. Dec. in cap. tuarum. num. 54. de priuileg. Ang. in sum. v. executor. §. 20.* Hinc infert Philip. Ner. in suo tract. de exempt. quest. 4. num. 12. Statutum Episcopi disponens de executionibus testamentorū ligare exemptos, licet alias exempti non ligentur statutis Episcopi. Intelligendū tamen de excoatore habente aliquā administrationem honorum de fundi, siue in distribuendis legatis, siue in nominandis pauperibus, dispensandisue Eleemosynis, aut alias adimplenda testatoris voluntate. *Felin. in cap. si quis contra. de for. comp. contra Abb. in cap. nos quidem. num. 12. de testam. vbi Abb. excipit eos, qui tantum nominandi pauperes habēt potestatem, quibus distribuenda sunt bona testatoris, cum tamen etiam per istos posset fraudari vel differri voluntas testatoris, quod ne fiat, semper intercedere potest autoritas Episcopi. Cōc. Trid. sess. 22. C. 8. de ref.*

48. Regularis sepeliens interdictum, excommunicatum, seu in alijs casibus prohibitis, ab excommunicatione quā ipso facto propterea incurrit, non est absolueudus, nisi arbitrio Episcopi laxæ paritatis fecerit. *Clem. 1. de sepult.*

49. Regularis item inducens aliquem ad eligendum sepulturam in sua Ecclesia, vel ad non immurandum electā, incurrit excommunicationē ipso facto Papæ reseruatum. *Cle. fin. de pen. §. fin. alioquin licitum est cuique eligere sibi sepulturam, vbi cunq̄ue etiam apud Regulares, dummodo non eligatur ad perfursionē seu inductionem. cap. 1. de sepult. & cap. 1. eo. tit. in 6.* Hæc eadem prohibitio & poena extenditur ad seculares Clericos, vt patet ex tex. *Cle. cit.* Alioquin nisi ex-

pres-



presè poneretur, non extenderetur, dispositio enim loquens de Religiosis, non habet locū in Clericis secularibus. s. vt notat *Abb. in Clem. 1. de decim. num. 1. & in Clem. cupientes. de pœnis. num. 3.*

50. Renunciatio honorum quauis per nouitium ante annum professionis faciendā, fieri debet de cōsensu Episcopi, alioquin subiacet vitio nullitatis. *Conc. cit. sess. 25. cap. 16. de Regular. vbi additur quod Episcopus etiam per censuras cōpellere potest, vt exeunti ante professionem, omnia quæ sua sunt restituantur.*

51. Controuersia de validitate professionis Regularium spectat quoque ad iudicium Episcopi. *Conc. lo. cit. cap. 19. vbi & modus traditur procedēdi in huiusmodi causis, vt videlicet opponens inuoluitatem, causas afferat legitimas antequam dimittat habitum, & si sponte ante dimiserit habitum, non amplius oppositio ipsi suffragetur. Hic etiam annotari potest, quod Regulares tenentur prestare honorem Cathedrali, seu Matrīci Ecclesiæ, vt in eo, quod supra relata. *Constit. Leon. X. ordin. auit his verbis.**

*Et vt debitus honor, Matrīci Ecclesiæ reddatur, tam ipsi fratres quam alij Clerici seculares etiam super hoc Apostolica Sedis privilegio muniti, die Sabbati maioris Hebdomadæ, antequam Campana Cathedralis vel Matrīci Ecclesiæ pulsauerit, Campanas in Ecclesiis suis pulsare minimè possint, contra facientes pœnam centum ducatorum incurrant.*

52. Ad hoc facit quod non possunt habere plures Campanas, sed vnā tantum, seu quas vsu antiquo loci alicuius obtinuerint. *extrau. vn. de off. Custod. com. Abb. in cap. cum inter. nu. 4. de consuet. & in cap. patentibus. de priuil. vbi dicit hoc casu posse puniri exemptos per Episcopum, quia nimirum tunc læduntur*

personæ non exemptæ, & consequenter delictum videtur commissum in locum non exemptum. *ad hoc facit Gemin. cons. 72. nu. 10. Oldrad. cons. 228.*

Tenentur & ad reuerentiam condignā exhibēdam Episcopo. *c. fin. de confir. vt. vel inut. Dec. ib. num. 14.* Non debent illi detrahere in sermonibus suis nec nominatim, nec per circumlocutionem. *Clem. 1. de priuil. Abb. ib. num. 23.* Nec debent retrahere populos à frequentia Ecclesiarum subiectarum Episcopo, vel à restitutionibus debitorum, seu legatorum faciendis per testatores matrīcibus Ecclesijs; nec possunt procurare vt malè ablata vel legata, vel similia sibi seu Monasterijs eorum applicentur in præiudicium aliorum, alioquin pœnis pro maioribus criminibus ex eorum Regulis infligi solitis sunt subiiciendi, & si ipsorum superior talibus pœnis illos non puniret intra mensem à tempore requisitionis, efficeretur suspensus ab officio suo ipso facto vsque ad satisfactionem. *vt patet ex tex. Clem. cit. Abb. ib. num. 31.*

Ad hoc facit quod Episcopus potest ab Exemptis petere charitatum subsidium dummodo subsit iusta causa. *Clem. vn. S. in exigēda. iun. gl. ib. de excess. pr. al. Abb. ib. num. 11. Card. ib. q. 1. Bellenc. de charit. subsid. q. 32.*

Item si propter iniurias subditorum Episcopus non posset exercere securè iurisdictionem in suo territorio, & tutius videretur eam exercere in aliquo loco exempto, posset hoc facere etiam contradicentibus exemptis. *vt notat gl. in Clem. vn. v. aut earū parte. de so. comp. Card. ib. à mon. 12. Abb. ib. num. 4.* In eorūdem Ecclesijs quocunq; tempore potest benedicere populum, Pontificaliter celebrare, vel Pontificalibus indutus celebracioni adesse. *Cle. fin. de priuil. Card. Inq. ib. Et in eisdem Ecclesijs præcedere*

Et 3 debet



debet Episcopus, & tenetur exempti ire illi obuiam processionaliter, praesertim in primo ingressu, quemadmodum & alij Clerici Diocesis Abb. in cap. nimis praua. nu. 3. de excess. prel. Bald. in cap. cum non liceat. de prescrip. Felin. ib. Oldrad. conf. 76. Baldachinum quoque erigere potest in iisdem Ecclesijs exemptorum, super quo emanauit declaratio S. Cong. Episcoporum & Regularium, vt sequitur.

Decet Episcopis pro eo quo in Ecclesia Dei excellunt dignitatis gradu, in quocumq; suorum Diocesium loco, quoties eos ibi Pontificalia exercere, aut in Pontificalibus adesse & assistere contingit, eam quam par est reuerentiam & honorem, decoro cultu & ornatu exhiberi. Quare non sine graui animi dolore auditum est, nonnullos Regulares vano quarundam immunitatum & priuilegiorum praetextu, Episcopis in eorum Ecclesijs in Pontificalibus interessentibus, non modo renuisse in eis supra locum Episcopalis solij Baldachinum erigere, verum id etiam iussu ipsorummet Episcoporum curantes, prohibere & arcere ausos fuisse. Atque ideo Sac. Congregatio S. R. E. Cardinalium negotijs & consultationibus Episcoporum & Regularium praeposita, facto verbo cum Sanctissimo Domino nostro Clemente Papa VIII. ac de sanctitatis sua speciali & expresso mandato, hoc praesenti decreto perpetuis futuris temporibus valituro declarat, statuit, decernit, & mandat, vt de cetero Episcopi, vbi tam ex consuetudine & priuilegio, quam ex sacrorum Canonum constitutionibus, & Pontificalis Romani praescripto, aut alio iure Pontificalia exercere, aut Pontificalibus permanentis cum mitra, vel

etiam sola Cappa induti, in quibusuis Regularium mendicantium, quam non mendicantium Monachorum etiam Casinensium, Clericorum, Presbyterorum, & cuiusuis alterius Ordinis & Religionis, militia Societatis, aut Congregationis Ecclesijs interesse possunt, ipsi Regulares quoties opus fuerit, teneantur ibi & debeant in loco ad solium Episcopi constituendum opportuno & congruo Baldachinum attollere, eis autem id facere negligentibus aut nolentibus, liceat eisdem Episcopis illud asportari, & in quocumq; eorundem Regularium, aut alia quantumuis exempta Ecclesia, super Episcopale solium, seu Pontificale Faldistorium erigi facere, atque sub eo sedere & stare, quemadmodum in proprijs & Cathedralibus eorum Ecclesijs stare & sedere solent: eo tamen duntaxat tempore, quo Pontificales eiusmodi functiones exercerunt, vel dum actus ipse, cui in Pontificalibus aderunt, peragetur. Si qui vero Regularium huic declarationi, statuto, decreto, & mandato inobedientes & contumaces fuerint, sciant se ab eisdem Episcopis, ad id per censuras & poenas Ecclesiasticas, huius decreti virtute cogi & compelli posse, alijsq; poenis, tam spiritualibus quam temporalibus arbitrio Summi Romani Pontificis subiicere, & obnoxios fore. Non obstantibus quibusuis constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ac dictorum Ordinum, Religionum, Militiarum, Societatum & Congregationum quocumq; nomine censeantur, statutis, priuilegijs quoque, indulgijs & literis Apostolicis sub quibuscumq; tenoribus & formis, & cum quibuslibet derogatorijs derogatorijs, alijsq; efficacioribus & info-



& insolitis clausulis, ac irritantibus, & alijs decretis in contrarium premissorū hactenus quomodolibet concessis, confirmatis, & approbatis; quibus omnibus & singulis, etiamsi talia essent qua generali expressione & derogatione non venirent, sed de illis eorumq; totis tenoribus specialis, specifica, & individua mentio habenda foret, eorum tenores presentibus pro expressis, & ad verbum insertis habens eadem sanctitas sua, hac vice dumtaxat specialiter & expresse derogat, ceterisq; in contrarium facientibus quibuscunq; Rome die 10. Iunii 1603.

Alex. Card. Flor. Epif. Prænestin.

Hier. Agacchius Secret.

In qua declaratione illud singulare est notandum, posse hoc casu Episcopum contra Regulares contumaces poenam excommunicationis & alias censuras fulminare, ut patet ex text. declarationis eiusdem circa finem.

94. Specialiter autem Abbates tenentur exhibere reuerentiam Episcopo. Felin. in cap. conquerente. num. 1. de off. ord. & electi ab Episcopo sunt confirmandi & benedicendi. c. cum Monasterium. de elect. Abb. in cap. 1. de suppl. neg. prel. & in cap. sicut tuis. num. 3. de Sim. Host. ib. in sum. num. 4. circa quam confirmationem & benedictionem potest Episcopus exigere iuramentum ab Abbate, de præstanda sibi & Episcopis successoribus reuerentia & obedientia, iuxta formam cap. ne Det Ecclesia. de Sim. In alienatione bonorum Ecclesie suæ, debet etiam Abbas habere consensum Episcopi. cap. Abbatibus. 17. q. 2. cap. in venditionibus. 17. q. 4. nisi Abbas fuerit subiectus immediatè sedi Apostolicæ. Abb. in Cle. 1. de reb. Eccles. non alien. Innoc. in cap. statumus.

de transact. Rodoan. de reb. Eccles. non alien. q. 27.

Ultra prædicta autem cõtra Regulares exēptos Episcopus iurisdictionem prætere tendere potest in illis, quæ in ipsorum priuilegijs non sunt expressa, quod ex inspectione ipsorum priuilegiorum dignosci potest. cap. porro. de priuil. & notat gl. in cap. sane. de excess. prel. Abb. in cap. nimis praua. num. 4. eo. tit. de excess. prel. potestati enim Ordinariorum nunquam detrahitur, nisi in quantum fuerit expressum. ut notat gl. in cap. 1. v. quantum. de priuil. in 6. Innoc. Ioan. Andr. in c. cum Capella. de priuil. Rot. decis. 744. p. 1. diuers. & quidquid exempto per exemptionem non acquiritur, intelligitur Episcopo reseruatam in dominio totali, quod non perditur nisi alteri acquiratur. Anchar. in cap. postulasti p. 4. so. comp.

Vnde debent inspicere priuilegia huiusmodi & exempti requisiti, tenentur ea exhibere; in casibus nimirum, in quibus non constaret notoriè de exemptione. cap. Abbate. iun. gl. v. fiat fides. de verb. sign. cap. cum persona. de priuil. in 6. Felin. in cap. cum ordinem. nu. 5. de rescript. Rot. decis. 534. p. 1. diuers. Consect. lo. sup. cit. tit. 5. c. 2.

56. Similiter subsunt Regulares iurisdictioni Episcopi, si contra eorum exemptionem legitime fuerit præscriptum; valet enim præscriptio contra priuilegia Regularium annorum quadraginta. cap. si de terra. iun. gl. de priuil. cap. cum persona. eo. tit. in 6. vel annorum centum, si sit trahenda præscriptio contra Rom. Eccles. eximentem. cap. ad audientiam. de prescrip. Auth. quas actiones. C. de Sac. Eccles. præsertim si sit ordinarius ille qui præscribit, huius enim præscriptio esset fauorabilis, cum per eam res reuertatur ad suam naturam, & ad ius com-  
mune,



mune, quod super omnes de Dioecesi cōcedit Ordinario iurisdictionem. *Abb. conf. 25. p. 1. Ias. in l. si vnus. §. pactus ne peteret. col. 2. num. 9. ff. de pact. ita nimirum vt præscriptione non in totum exemptio tollatur, sed tantum de ea detratur, quantum fuerit præscriptum, videlicet respectu Claustrum, & respectu Episcopi seu alterius præscribentis, & respectu iuris alicuius particularis præscripti. cap. si de terra. cit. cap. accedentibus. eo. tit. de priuil. Abb. ib. num. 7. & in cap. cum accessissent. nu. 8. de constit. Gem. in c. 1. de priuil. in 6. Dec. conf. 308. Calder. conf. 130. Vnde hoc etiam præsupponere solent Summi Pont. in confirmatione priuilegiorum Exemptorum. vt Pius V. in sua Bulla ordini Cisterciensium data. incip. In eminenti. de an. 1563. 6. Kalen. Octob. & Greg. XIII. in sua Bulla eidem Ord. Cisterciensium. data. incip. Superna dispositione. de anno 1574. die 12. Junij. & in alia pro alijs Regularibus emanata. incip. Ex benigna. de an. 1575. 21. Mart. Et alia incip. Regimini. 19. Nouemb. 1575. adhibuit clausulam huiusmodi (quatenus sunt in vsu, & sacris Canonibus ac decretis Sac. Conc. Trid. non aduersatur, approbamus. &c.) similiter & in literis aliquibus Six. V. videre licet, prout referuntur apud Eman. Roder. Reg. quest. tom. 1. q. 8. art. 5. & art. 8. vbi de hac materia plura videre licet. & apud Confect. in sum. priuil. sup. cit. tit. 3. cap. 4.*

37. Subsunt item Regulares Episcopo, si in aliquo sponte sese submiserint iurisdictioni ipsius, siue expresso pacto, siue tacite obtemperando iussis ipsius, præsertim si submissio hæc fiat, non per particularem personam, sed per vniuersitatem seu Claustrum totum loci alicuius. cap. de terra. cit. possunt enim renunciare iuri suo exempti, saltem in præiu-

dicium proprium, licet non possint in præiudicium superioris eximentis. *gl. fin. in cap. cum tempore. de arbit. Abb. in cap. 1. num. 19. de sent. & re iud. & in cap. significasti. num. 11. de for. comp. in cap. dilectus. num. 18. de Capel. Monach. Ias. & Alberic. & alij DD. in l. si quis in conscribendo. C. de Episc. & Cler. Bald. in Auth. quas actiones. C. de sacros. Eccl. Guid. Papa decis. 36. & 63. Ang. de Clauas. Arm. in suis summis. v. exemptio. num. 5. & 8. Hinc est quod pacta per Regulares inita licet non fuerint approbata à Congregatione ipsorum generali vel prouinciali ligant ipsos Regulares. cap. vlt. de pact. in 6. & magis confirmat hanc doctrinam Constit. Leon. X. supra à nobis relata præsertim in illis verbis.*

Pacta autem & conuentiones inter eosdem Fratres & Prælatos atq; Curatos pro tempore inita, valeant nisi per subsequens Capitulum proximum generale, vel prouinciale resutata, & per eos resutatio huiusmodi ininita debito tempore fuerit.

Delinquentes autem Religiosi in casibus in quibus ex Ordinatione Concil. Trid. subduntur iurisdictioni Episcoporum, possunt ex comunicari, suspendi, interdici, vel alijs pœnis puniri per Episcopos, licet habeant priuilegia quod excommunicari non possint. *arg. tex. Conc. Trid. sess. 25. cap. 17. de Regul. quia nimirum quoad contenta in dicto Concilio cessant omnes eorum exemptiones & priuilegia, vt patet ex textu eiusdem. Conc. cap. vlt. sess. 25. cit. de Regul. & ex Bulla. Pij IV. incip. In Principis. de anno 1565. 24. Febr. qua reuocantur priuilegia Regularium quoad contenta in dicto Conc. Trid. ita Genuen. in prax. loc. supra cit. cap. 59. num. 9.*



In alijs autem casibus in quibus essent subiecti Episcopo Regulares, siquidem habeant priuilegia quod excommunicari non possint, non possunt excommunicari per Episcopum, vt communiter DD. in cap. 1. de priuil. in 6. nisi in casibus expressis, quorum aliquos supra notauimus. vt in casa. cit. cap. 1. circasimem. de priuil. in 6. vel in casa quo Episcopus esset in possessione talis iurisdictionis in ipsos. Innoc. Abb. in cap. cum dilectus. num. 4. de rel. dom. tunc enim si notoriè constaret de possessione, posset Episcopus etiam extraiudicialiter procedere ad censuras, nõ vt iudex sed vt pars defendens ius suum. Abb. in cap. cum venissent. a num. 10. de iudic. Felin. in cap. sacro. num. 6. de sent. excom. Suarez de cens. disp. 2. sect. 4. nu. 8. neque appellatione impediri posset. Innoc. in cap. venerabili. de cens. Abb. ib. neq; absolutio ad cautelam tum concedenda esset, nisi aliquialiter doceretur de dubia vel mala possessione Episcopi, ne videlicet de facili eludatur potestas ordinariorum, cui suffragatur ius commune. Innoc. in c. solet. de sent. excom. in 6. Rot. decis. 234. incip. si rector. & decis. 308. incip. si quis per at. in no. & decis. 115. in antiq. E contra verò si Regulares reperiantur in possessione exemptionis cum titulo saltem colorato, in ea manuteneri debent quousq; de exemptione cognoscatur. cap. 1. vt lit. pend. Innoc. Abb. ib. cognitio aut huiusmodi spectat ad Papam. cap. cum venissent. de iudic. & eo maxime quia ipse sibi eam reseruare solet in ipso priuilegiorum, quæ exemptis concedit, contextu. vt videre licet in priuilegijs diuersis Regularibus concessis.

Dato autem quod Regulares in casibus in quibus subduntur Episcoporum iurisdictioni, propter eorum priuilegia

excommunicari, suspendi, vel interdicti non possint, poterunt tamen puniri alijs pœnis. vt notat Abb. & communiter DD. in cap. cum Capella. de priuil. Similiter. DD. post gl. in cit. cap. 1. quantum ad ista. de priuil. in 6. Felin. in cap. dilectus. de off. ord. Gambar. de potest. Leg. lib. 8. c. fin. n. 77. Calder. conf. 8. de Reg. Rot. decis. 702. & 744. p. 1. diuers.

Ad extremum ponendū hic est, quod cum Regulares exēpti popter eorū priuilegia ab Episcopo excommunicari nõ possint, nec ligentur statuto Episcopi excommunicationem annexam trahente: si tamen cõmittant aliquod delictū propter quod ex iuris cõmunis dispositione, vel ex Constitutionibus Apostolicis incurrunt ipso facto excommunicationem, possint declarari per Episcopum & pro excommunicatis publicari, ad effectum vt euitentur à populo Diocesis. Clem. 1. de priuil. §. 1. prope finem. ibiq; Card. num. 24. Abb. num. 22. Ioan. Andr. in cap. 1. de priuil. in 6. Aufrer. in Clem. 1. de off. ord. quest. 10. vers. & licet Lap. Felin. in cap. non potest. nu. 3. de re. iudic. vbi dicit exemptum sic excommunicatum citari etiam posse ad videndū declarari: concessio enim principali, videtur concessum accessorium. l. cui iurisdiction. ff. de iurisd. omn. iud. c. prater ea. cap. prudentiam. §. sexta nobis. in fin. de off. deleg. præsertim cum sit sumenda informatio super excommunicatione incurta. Clem. fin. iun. gl. v. constituterit. de cens. & Clem. multorum. iun. gl. v. constituterit. de pœnis. Informari enim debet Ordinarius vt sibi constet. Abb. in cit. Cle. 1. de priuil. n. 22. idq; etiã audiendo, testes inquirendo, nisi possit constare ex informatione extra iudiciali. gl. in Clem. fin. v. constituterit. de cens. Imo vbi probabiliter dubitatur de excommunicatione incurta, necessario voca-

59.

60.

Ff

ri



ri debet declarandus. vt notat Abb. in Clem. 1. nu. fin. Clem. 2. nu. fin. de pœnis.

Abfoluere tamen non poffet Epifcopus Regularem exemptum ab excommunicatione fic incurfa, licet aliàs fuos fubditos, fi eandem excommunicationem incurrant aliqua ratione abfoluere poffet. Suarez de cenf. diff. 7. fecl. 3. num. 9. quia nimirum Regulares exempti non funt illius fubditi. Abb. in cap. fignificasti. de for. comp. & in c. quoniam. de vit. & hon. Cler. Ang. Armit. verb. exemptio. num. 6. & 9. Sed huiusmodi abfolutio fpectat ad Papam qui eft Ordinarius exemptorum. Abb. in Clem. penult. num. 11. de fent. excom. Felin. & Sicul. Ioan. Andr. in cit. c. fignificasti. de fo. comp. Aufter. loc. fup. cit. quæft. 10. vel ad superiores Regulares, qui etiã in cafib. c. 6. fecl. 24. Conc. Trid. de ref. fuos fubditos it. dē Regulares abfoluere poffunt facultate ipsis conceffa quodã refcripto Pij V. incip. Rom. de an. 1571. die 21. Iul. quod refert Confecl. fup. cit. & Suarez de Sacra. diff. 30. fecl. 2. n. 7.

In cafibus tamen iure expreffis poffet etiam Epifcopus abfoluere Regularem licet exemptum, vt in cafu iniectiois manus violentæ in Clericum. cap. Monachi. de fent. excom. cap. religiofo. eod. tit. in 6. Ioan. Andr. Anchar. ib. vel fi abfoluat tanquam delegatus Sedis Apofl. Clem. cum ex eo. de fent. excom. Et in ca-

fibis in quibus ipfemet poffet excommunicare eofdem exemptos: eiuſdem eft enim abfoluere cuius excommunicare. cap. pifloralis. §. præterea. de off. ord. Abb. ib. eod. §. num. 1. & in cap. tuarum. num. 3. de priuile. Dec. ib. num. 13. vel in cafibus in quibus exempti poffunt fibi eligere confeſſorem. c. fin. de pœnit. & remiff. Hoſt. in fion. eod. tit. §. cit. confitendum. fub num. 22. Fed. de Sem. conf. 95. Vel in cafu quo Superior Regularis abfoluere non poffet, & remitteret Regularem ad Epifc. poteſtatē habentem ad abfoluendum. Suarez de Sacram. diff. 30. quæft. 2.

Et hæc pro Viſitatione Regularium dicta funt, qui licet abfolutē viſitari non poffint, præterquam in cafibus fuprà expreffis, tamen cum Epifcopus viſitat fuam Diœceſim & loca domicilij Regularium vicina, an Regulares ibidem degentes in cafibus præmiſſis iurisdictionem ipſius Epifcopi concernentibus delinquant, inquirere poteſt; nimirum in quifitione præparatoria non ſolemni, & ſine aliqua exactione iuramenti. Sed fi ex tali in quifitione inueniret aliquod delictū quo daretur ſcandalū in populo, poffet procedere etiã ad in quifitionem ſolemne, vt vel ipſe corrigat delinquentem Regulare, vel requirat correctionē ab ipſius ſuperiore Regulari, quod optime deducitur decif. 740. Rot. p. 1. diuerſ.

## ARTICVLVS VII.

### De Viſitatione Sanctimonialium.

- 1 Moniales gaudent privilegijs Fratrum ſui ordinis.
- 2 Moniales quoad clauſuram ſubiecta ſunt ordinario.
- 3 Monafteria Monialium ſubiecta Sedi Apofl. in omnibus ſub ſunt Epifcopo.
- 4 Moniales tenentur habere licentiam exeundi e Monafterio ab Epifcopo in cafibus, in quibus poffunt exire.